


AB
13


40 h. 17



10447
R

10447





PRECA TIONES
LITV R GICÆ
IN DIES VII.
DIGESTÆ

PER
M. Simonem Verrepæum.
MECHLINIÆ
Virginum Thaborensium Hierarcham.

CHRISTVS SE TIBI



TV TE CHRISTO

Gregory Richter. Lib. of A. 76
DILINGÆ,

Excudebat Sebaldus Mayer.

RECANTIO
LITURGICAE
IN DIEBUS
DIEBUS

BER
M. F. L. I. A. B.
Virginia Thob...



AB
157



AD AMPLISSIMUM
S. R. E. CARDINALEM,
Regniq; Neapolitani Pro-regem D.
ANTONIUM Perrenotum Gran-
uellanum, Archiepiscopum
Mechliniensem.



VM REIPVB.
Christianæ statum,
anno superiori apud
nos Belgas penè ubi-
que locorum perturbari, con-
uelli, & labefactari cernerem,
Reuerendissime in Christo Pa-
ter, & ampliss. D. Cardinalis: nec
ad ipsum conseruandum sat fe-
lices successus pro votis multo-
rum tunc apparerent: venit in
mentē sæpenumero verborum
Regis Iudaicæ gentis Iosaphat:
Cum ignoremus, inquit, quid
agere debeamus, hoc solùm ha-
bemus

bemus residui, vt oculos nostros
dirigamus ad te. Quibus ille
Deum compellans, nos & mo-
net & erudit, vt in rebus afflictis
ac diebus oculos nostros diriga-
mus ad Deum Patrem nostrum
coelestem, ab eoq; spem, opem,
& liberationem petamus & ex-
pectemus; qui cum Omnipotēs
sit, vt Scripturæ nos docent, &
in Fidei symbolo protestamur,
credamus oportet ipsum posse
prestare et elargiri, quod ab ipso
petitur; Cum vero idem Pater
noster & esse & dici voluerit,
consequitur quoq; eundem verē
paterno affectu nos prosequi:
Paternalis autem affectus est, velle
suis liberis in afflictionibus sub-
uenire, ferre opem, & liberare.

Hæc & alia id genus, cum
mente subinde reputarem, vehe-
menter

menter & sæpe exoptavi, pias
ac Christianas aliquas precandi
formulas in lucem proferri, qui-
bus hac tragica prorsus tempe-
state, & aliâs ingruentibus non-
nunquam afflictarũ rerum pro-
cellis, Christiani piè & utiliter
vti possent. Cum verò post mul-
tum temporis interuallum ex-
pectationi nostræ non satisfac-
eret, amici quidam non vulgares
nos ad easdem colligendas vr-
gere cœperunt. Quod cum ab
officio nostro, & fide, qua Chri-
sti Ecclesiæ deuincti sumus, non
alienum videretur, acquieui-
mus tandem piè flagitantium volun-
tati, & studiosè collegimus vn-
dequaq; huiusmodi potissimũ
sanctissimorum Patrum Preca-
tiones, quæ ad æterni Dei lau-
dem & gloriam celebrandam, ad

* 3

placan-

placandam eiusdem offensam,
ad sedandas Reipublicæ tempe-
states, & Christianæ Religionis
incrementum, ad Ecclesiæ Ca-
tholicæ pacem, Populicq; ac Prin-
cipum Christianorum concor-
diam tuendam & cōservandam
congruere cum primis videren-
tur. Qua quidem in re me inte-
gra mente versatum esse spero,
iudiciumq; Catholicæ & Apo-
stolicæ Ecclesiæ Dei libentissi-
mè defero.

Has igitur Preces ordine con-
veniente digestas, iam in lucem
emissurus, ad T. R. C. amplissi-
me D. Cardinalis, cuius nomini
inscriberentur, duabus de caus-
sis mihi confugiendum existi-
maui. Primum quod in Ecclesia-
stica Rep. & Politica, ad hunc
tam sublimem Dignitatis gra-
dum

dum assumptus, ad superiora
omnia promouenda, momenti
non parum potentia & auctori-
tate tua, qua summè polles, affer-
re possis: vt in eo nos Belgæ tui,
spei nostræ sacram, quod aiunt,
anchoram meritò fixisse videamur.
Deinde cùm piorum quo-
rundam censura & approbatio-
ne persuasus, sperarem has Pre-
ces Christianæ pietatis studio-
sis, vtilis futuras, existimabam
easdem non paulò commenda-
tiores fore, eorūq; auidius, feruen-
tius, & à pluribus lectum iri, si
in earum fronte tantî Præsulis
& Principis nomen præluceret:
quod pro singulari quodã. C. T.
animi candore, & in omnes be-
neuolentia, confidebam nulli
denegandum de Rep. Christia-
na bene merendi cupido.

* 4

Sed

Sed fortasse quis dixerit, exiguum esse, quod offerimus, & Illust. Cels. T. nimis indignum. Exiguum fateor, si libelli quis spectet quantitatem: Sed idem egregiè magnum, & verè heroicum, si quis rem ipsam aestimet quam complectitur, quæ quidem est huiusmodi, vt à magnis Scriptoribus summis laudibus celebretur, & ab ipso Christo Domino sit nobis & verbo & vsu frequenti magnificè admodum commendata. Quæ adhæc à Regibus & viris Principibus, Dauide, Salomone, Ezechia, Moyse: A Patriarchis item, Prophetis & Apostolis, & vniuerso deniq; mortalium ordine diligentissimè sit exercitata, & in summo precio semper habita. Intelligunt nimirum omnes omnium

num seculorum & nationum
homines, vix vllam rem aliam
humano generi maiori vel orna-
mento vel vsui esse, quàm sit pia
& supplex Deprecatio: Quod
multis hoc loco Scripturæ testi-
monijs facile doceri queat, si epi-
stolaris angustia longiores nos
esse pateretur.

Consulat igitur æqui boni,
Ill. & R. T. C. hunc quantulum-
cunq; Precationū libellum sub
nominis sui patrociniō in pu-
blicum proferri, sibiq; , cui iure
debetur, offerri & consecrari:
præsertim quod in hac Ecclesiæ
tuæ metropolitanę miserabili et
deploranda afflictione, et mona-
sterij nostri Saluatoris in Tha-
bor, calamitoso incendio, pro-
uinciæ tuæ indigenam, & Mech-
liniensis ciuitatis incolam, aliò
confu-

confugere parum decorum ha-
beretur, quam ad totius Prouin-
ciæ suæ mystagogum, spiritalem
parentem, & afflictorum patro-
num, quem Clero suo Mechli-
niano, nostroq; in eo sacratarum
Virginum monasterio, fauore
& patrocínio nō defuturum vel
eò magis cōfidimus, quod Reip.
atq; totius Populi interesse non
parum existimemus, vt Mona-
steria passim facta tecta, atque in
bona disciplina vtriusq; Magi-
stratus cura & opera conseruen-
tur; quod illa nimirum sint in
Regnis & prouincijs excursio-
nibus hostium expositis, quod
arces (vt verbis hic vtar Pro-
uincialis Concilij Mechlinien-
sis) militum præsidio benè in-
structæ.

Deum

Deum Opt. Max. demissa ac
supplici mēte precor, vt R. V. C.
inter hos tantos Ecclesiæ & Rei-
pub. fluctus benignè ac diu ser-
uet incolumem. Datum Mech-
liniæ, in Thabor, anno humanæ
salutis, M. D. LXXIII.
Kalendas Ianuarij.

R. V. C. deditissimus,
Simon Verrepæus

Virginum Thaborensium
Hierarcha.

Decastichon ad Libellum.

Si nimium pressus cuiquam videare Libelle:

Dic, vereor dominū sarcina magna premat.

Namq, manu ipsius semper duceris: vt ipsi,

Quo te cunq, volet ducere, iunctus eas.

Huic aderis, sacri dum calcat limina templi:

Huic aderisq, comes, dū redit inde domum.

Huic si quando graui mens saucia crimine mœ-
ret:

Te Dominum Domino conciliare decet.

Te sine nocturnos non ausit carpere somnos:

Te sine nec tectis mouerit ille pedem.

Nunc Caro, nunc Mundus, nunc Dæmon bella
mouebit:

Tu bellaturo tela parata geres.

Rebus in afflictis fueris tu puppis & aura:

Tu patrocinium cum premet atra dies.

Sæpe per excelsos cogetur scandere montes:

Vel petere infesti te comite, alta maris.

Immo vel extremos sociū te quæret ad Indos:

Et decet accinctum, quò iubet ille, sequi.

Ergo cui nimium pressus videare Libelle:

Dic, vereor dominū sarcina magna premat.

Mechlin. è Gynæceo Thaborino.

Ianuarus habet dies XXXI.

	Circuncisio Domini secundum carnem.	7
1	A } Concordius Presb. Martyr.	163
2	b Adalardus Abbas in Corbeia.	828
3	c Genouefa virgo Parisijs.	512
4	d } Titus Episcop. Cretensis.	94
	} Pharaildis virgo Gandani.	665
5	e Telesphorus papa martyr.	139
6	f Epiphania Domini.	1
7	g Cletus papa martyr.	99
8	A Gudila virgo Bruxella.	670
9	b Iulianus & Basilissa virgo.	281
10	c Nicanor Diaconus martyr.	45
11	d Higinus papa martyr.	142
12	e Eutropius, Tigrius, Olympias, mart.	406
13	f Remigius, Episc. Rem. Francorum Apost.	545
	{ Hilarius Episc. Pictauorum.	337
14	g } Felix Nolanus Presbyter.	300
	} Pontianus mart. Ultraiecti.	154
15	A } Paulus I. Eremita. In Aegypto.	343
	} Maurus Abbas. Discip. S. Benedicti.	582
16	b Marcellus papa martyr.	310
17	c Antonius Abbas Aegyptius.	357
18	d } Cathedra S. Petri Romae.	44
	} Prisca virg. mart. Ro. Anno atat. 13.	45
19	e Marius & Socij mart. Romae.	45
	} Fabianus papa martyr.	251
20	f } Sebastianus Martyr Romae.	301

Ange

21 g	Agnes virg. nobil. mart. Anno atatis 13.	304						
22	<table border="0"> <tr> <td>A</td> <td>Vincentius martyr Hispanus.</td> <td>301</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Anastasius Abbas martyr.</td> <td>635</td> </tr> </table>	A	Vincentius martyr Hispanus.	301		Anastasius Abbas martyr.	635	
A	Vincentius martyr Hispanus.	301						
	Anastasius Abbas martyr.	635						
23 b	Emerentiana Virg. mart. Romæ.	304						
24 c	Timotheus Episc. Ephesi mart.	104						
25 d	Conuersio S. Pauli Apostoli.	35						
26 e	Polycarpus Episc. mart S. Ioan. discip.	168						
27 f	Ioan. Chrysoft. Episc. Constantinop.	407						
28 g	Carolus Magnus Imperator Aquisgrani.	814						
29	<table border="0"> <tr> <td>A</td> <td>Valerius Episcopus Treu. S. Petri discip.</td> <td>71</td> </tr> </table>	A	Valerius Episcopus Treu. S. Petri discip.	71				
A	Valerius Episcopus Treu. S. Petri discip.	71						
30 b	Aldegunda Virgo nobil. Melbodi.	643						
31 c	Methranus martyr Alexand.	247						

Februarius habet dies XXVIII.

1 d	<table border="0"> <tr> <td>I</td> <td>Ignatius Episcopus Antioch. mart.</td> <td>110</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Brigida virgo Scota.</td> <td>526</td> </tr> </table>	I	Ignatius Episcopus Antioch. mart.	110		Brigida virgo Scota.	526	
I	Ignatius Episcopus Antioch. mart.	110						
	Brigida virgo Scota.	526						
2 e	Purificatio B. Mariæ.	1						
3 f	Blasius Episcopus mart. Sebastæ.	286						
4 g	Phileas Episc. mart. In Aegypto.	304						
5	<table border="0"> <tr> <td>A</td> <td>Agatha virgo nobil. mart. Sicula.</td> <td>253</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Dorothea virgo mart. Cappad.</td> <td>286</td> </tr> </table>	A	Agatha virgo nobil. mart. Sicula.	253		Dorothea virgo mart. Cappad.	286	
A	Agatha virgo nobil. mart. Sicula.	253						
	Dorothea virgo mart. Cappad.	286						
6 b	<table border="0"> <tr> <td></td> <td>Amandus Episcopus Traiectinus.</td> <td>661</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Vedastus Episcopus Atrebatum.</td> <td>531</td> </tr> </table>		Amandus Episcopus Traiectinus.	661		Vedastus Episcopus Atrebatum.	531	
	Amandus Episcopus Traiectinus.	661						
	Vedastus Episcopus Atrebatum.	531						
7 c	Moyfes Episcopus Saracenorum.	379						
8 d	Cointha virgo Martyr Alexand.	252						
9 e	Apollonia virgo Martyr Alexand.	252						
10 f	<table border="0"> <tr> <td></td> <td>Scholastica virgo soror S. Benedicti.</td> <td>555</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Guillelmus Dux Aquitaniæ.</td> <td>1160</td> </tr> </table>		Scholastica virgo soror S. Benedicti.	555		Guillelmus Dux Aquitaniæ.	1160	
	Scholastica virgo soror S. Benedicti.	555						
	Guillelmus Dux Aquitaniæ.	1160						

Seuerinus

11 g	Seuerinus Abbas Agennæ.	530
12	A Eulalia virgo mart. Barcinonæ.	286
13 b	Tranquillinus Presb. Mart.	285
14 c	Valentinus Presb. mart. Romæ.	46
15 d	Faustinus & Iouita mart. Brixia.	120
16 e	Iuliana virgo mart. Nicomedia.	307
17 f	Polycronius Episcopus Babyl. mart.	253
18 g	Simeon Episcopus Hierosol. mart.	109
19	A Gabinus presb. martyr Romæ.	286
20 b	Eleutherius Episcopus Tornacensis.	484
21 c	79. Martyres in Sicilia.	286
22 d	Cathedra S. Petri Antiochia.	37
23 e	72. Martyres Syrmij.	287
24 f	Mathias Apost. mart. In Indas.	66
25 g	Tarasius Episcopus Constant.	806
26	A Alexander Episcopus Alexandria.	318
27 b	Leander Episc. Hispal. Apost. Gothorum.	610
28 c	Romanus Abbas in Gallia.	690

Martius habet dies XXXI.

1 d	Albinus Episcopus Andegauis.	810
2 e	Ceddas Episcopus Britannia.	746
3 f	Kunegundis virgo Imperatrix.	1005
4 g	Lucius Papa martyr.	255
5	A Hadrianus mart. Palestinus.	300
6 b	Fridolinus Confessor Scotus.	500
7 c	} Thomas Aquinas Confessor.	1274

Hunfrid

8 d	Hunfridus Episc. Taruanens. Ipris.	3869
9 e	40. Milites martyres Sebastæ.	313
10 f	Attalas Abbas Luxouij.	600
11 g	Vindicianus Episc. Atrebatensis.	670
12	A Gregorius Mag. Anglorum Apost.	604
13 b	Nicephorus Patriarcha Constant.	815
14 c	47. Mart. Romæ à S. Petro Baptiz.	50
15 d	Longinus Miles martyr.	45
16 e	Heribertus Episc. Coloniensis.	1021
17 f	} Patritius Hybernorum Apost.	427
	} Gertrudis Virgo Niella. In Brabant.	664
18 g	Cyrillus Episc. Hierosolym.	362
19	A } Ioseph. Nazarenus Confess.	1
	} Landealdus Episc. Gandavi.	646
20 b	} Archippus Discip. S. Pauli. In Asia.	40
	} Vulfrannus Episc. Senonensis. Gandavi.	691
21 c	Benedictus Abbas Cassini.	542
22 d	} Paul. Episc. Narb. Apost. disc. vixit.	370
	} Harlindis virgo apud Maeseyck.	718
23 e	Frumentius & Socij Mart. in Afric.	486
24 f	} Pigmenius Presb. mart. Romæ.	362
	} Simon puer mart. Tridenti.	1475
25 g	Annunciatio B. Virg. Anno mundi.	6309
26	A Lugderus I. Episc. Monasteriensis.	762
27 b	Ioannes Eremita Aegyptius.	380
28 c	Guntrannus Rex Cabilone.	688
29 d	M. Arethusius Episc. Mart.	362
30 e	Veronus Confessor, Lembecæ.	855
31 f	Balbina virg. S. Quirini mart. F.	116

Aprilis

Aprilis habet dies XXX.

1 g	Hugo Episcopus Gratianopoli.	1107
2 A	Maria Aegyptiaca Pœnitens.	526
3 b	Agape & Chionia Virg. mart.	285
4 c	Ambrosius Episc. Mediolani.	364
5 d	Vincentius Predicator Confess.	1240
6 e	Cœlestinus papa. I. post Bonifac.	432
7 f	Egesippus Historicus vir sanctiss.	220
8 g	Dionysius Episc. Corinthiorum.	178
9 A	VValdetrudis, Montibus Hannoniæ.	645
10 b	Apollonius Presb. martyr. Alexand.	196
11 c	Leo I. papa Confessor.	461
12 d	Iulius I. papa Confess.	353
13 e	Iustinus Philosophus martyr.	183
14 f	Tiburtius, Valerianus, & Maximus.	225
15 g	Olympiades & Maximus mart.	259
16 A	18. Martyres Cæsaraugustani.	286
17 b	Anicetus papa martyr.	163
18 c	Vrsmarus Lobiensis Binchij.	713
19 d	Alphegus Episc. Cantuar. mart.	1006
20 e	Sulpitius & Seruilianus mart. Romæ.	103
21 f	Anselmus Episc. Cantuariæ.	1056
22 g	} Sother papa martyr.	171
	} Galus papa martyr.	296
23 A	Georgius Martyr. In Pers.	286
24 b	Mellitus Episc. Britannus.	600
25 c	Marcus Euangelista Alexand.	63
26 d	} Cletus papa martyr.	84
	} Marcellinus papa mart.	304
	* * Anthimus	

27 e	Authimus Episc. martyr Nicomed.	290
28 f	Vitalis mart. Pater Geruasij & Prothasij.	51
29 g	Petrus ord. Præd. Inquisitor Romæ.	1152
30 A	Quirinus Tribunus martyr Romæ.	116

Maius habet dies XXXI.

1 b	} Philippus Apost. Scythiæ & Phrygiæ. Iacobus Apost. Hierosolymis.	53
		63
2 c	Athanasius Episcopus Alexand.	371
	Inuentio S. Crucis per Helenam.	326
3 d	} Alexander Euentius Theodolus. Iuuenalis Episcopus Confessor.	117
4 e	Monica mater S. Augustini.	379
5 f	Hilarius Episcopus Arelatensis.	370
6 g	Ioannes ante portam Latinam.	910
7 A	Domicilla virgo nobil. Martyr.	92
8 b	Apparitiõ S. Michaëlis Siponti.	495
9 c	Gregorius Nazianzenus Episc. Confess.	372
10 d	Gordianus & Epimachus mart. Romæ.	362
11 e	Mamertus Episc. Vienenf. Gallia.	457
12 f	} Nereus & Archillaus mart. Romæ. Pancratius martyr Romæ.	92
		286
13 g	Seruatus Episcopus Tungrensis.	390
14 A	Bonifacius martyr Romæ.	286
15 b	Dympna virg. nobil. mart. Ghelæ.	720
16 c	Peregrinus I. Episc. Antisiod. Mart.	130
17 d	Torpetes martyr Pisanus.	50
18 e	Ericus Rex Suetiæ Martyr.	1160

Poten-

19 f	} Potensiana virgo Romæ.	140
	} Iuo Aduocatus pauperum in Gall.	1347
20 g	Bernardinus Senensis ord. S. Franc.	1443
21 A	Hospitius inclusus Confessor in Gall.	564
22 b	Castus & Aemilius mart. Afric.	241
23 c	Guibertus Confessor Gemblaci.	962
24 d	Ioanna Matrona vxor Chusæ.	34
25 e	Vrbanus papa martyr.	231
26 f	Eleutherius papa Martyr.	186
27 g	Ioannes I. Papa martyr.	526
28 A	Germanus Episcopus Parisijs.	574
29 b	Maximus Episcopus Treueris.	346
30 c	Felix I. Papa martyr.	275
31 d	Petronilla virgo Romæ.	35

Iunius habet dies XXX.

1 e	Pamphilus presb. Mart. Cæsariæ.	287
2 f	Marcellinus, Petrus, Erasmus mart.	286
3 g	Clotildis Gallia Regina Parisijs.	522
4 A	Quirinus Episcopus martyr Sciscia.	310
5 b	Bonifacius Episcopus mart. in Frisia.	738
6 c	} 20. Mart. in Cilicia, circa annum.	290
	} Gudualis Archiepisc. Gandau.	859
7 d	Paulus Episcopus Constant. mart.	350
8 e	Medardus Episc. Nouiomen. in Gall.	537
9 f	Primus & Felicianus mart. Romæ.	281
10 g	Basilides & Socij martyres Romæ.	273
21 A	Barnabas Cyprius Apost. mart.	50

* * 2

Basilides

	Basilides Cyrinus, Nabor, Nazarius mar.	285
12 b	Odolphus Presb. Ultraiecti.	862
	Cunera vir. mar. ex societate 11000. Vir.	450
13 c	Antonius de Padua, ord. Minor.	1231
14 d	Basilus Episc. Casarien. Confess.	369
15 e	Vitus Modestus & Crescentia mart.	282
16 f	Ferreolus & Ferrutio mart. Bisunt.	175
17 g	Paula virg. mart. in Hispan.	286
18 A	Marcus & Marcellinus mart. Rom.	301
19 b	Geruasius & Protasius mart. Med.	51
20 c	Siluerius Papa martyr.	538
21 d	Albanus Episc. mart. Mogunt.	285
22 e	Paulinus Episc. Nolanus Confess.	421
	10. Millia martyrum Alexandriae.	116
23 f	Ediltrudis virgo Britanna.	675
24 g	Ioannes Baptista. Anno mundi.	6309
	Gallicanus martyr. ex famil. Constant.	263
25 A	Eligius Episc. Nouiom. Apost. Fland.	630
	Adelbertus Archidiaconus Egmondæ.	736
26 b	Ioan. & Paul. frat. mart. Romæ.	354
27 c	Septem dormientes Ephesi.	251
28 d	Leo II. Papa Confessor.	683
29 e	Petrus & Paul. Mart. Romæ.	68
30 f	Lucina virgo. Apost. discipula.	70

Julius habet dies XXXI.

1 g	Rumoldus Archiepisc. mart. Mechlin.	670
2 A	Visitatio B. Virg. Mariæ. Lucæ 1.	1
	Processus & Martinianus mart. Rom.	53
	Grego.	

3 b	Grego. Neocæsarien. Episc. mart.	254
4 c	Vdalricus Episc. Augustanus.	924
5 d	Zoa vxor Nicostrati mart. Romæ.	301
6 e	Godoleua mart. Ghistellæ in Fland.	1070
7 f	Pantenus Presb. Alexand.	139
8 g	Kilianus Episc. Herbipolensis.	630
9	A Ephraem Diaconus Edeffæ.	372
	{ 7. Fratres mart. filij Felicitatis.	136
10 b	{ Rufina & Secunda sorores Virg. mart.	262
	{ Amelberga virgo Gandau.	772
11 c	Pius I. Papa mart.	153
12 d	Nabor & Felix mart. Mediol.	287
13 e	Anacletus Papa martyr.	96
	{ Bonauentura Cardinal. Confess.	1275
14 f	{ Henricus Imp. Bambergæ.	1024
	{ Vincentius Confessor Sonegijs.	644
15 g	Diuisio omnium Apostolorum.	44
16	A Eustachius Episc. Confess. Antiochiæ.	332
17 b	Alexius Confessor Romæ.	398
	{ Symphorosa cum 7. filijs mart.	136
18 c	{ Fredericus Episc. mart. Ultraiecti.	838
19 d	Arsenius Eremita in Thebaide.	497
20 e	Margarita virg. mart. Antiochiæ.	243
21 f	Praxedis virg. soror S. Potentianæ.	141
22 g	Maria Magdalena Massilia.	84
23	A Apollinaris Episc. mart. Rauennæ.	74
24 b	Christina virg. mart. In Tyro.	285
	{ Iacobus Maior Apostolus.	42
25 c	{ Christophorus mart. In Lycia.	354

Lucius

✠ ✠ 3

Anna

26 d	Anna mater B. Virg. Mariæ.	1
27 c	Pantaleon mart. Nicomediæ.	301
	└ Nazarius & Celsus martyres.	51
28 f	┌ Victor papa Martyr.	195
	└ Innocentius papa Confessor.	416
	└ Martha virg. nobil. Tharasci.	84
29 g	┌ Felix papa Martyr.	365
	└ Simplicius, Faustinus, Beatrix.	286
30	A Abdon & Sennes martyres Romæ.	259
31 b	Germanus Episcopus Antifiodori.	449

Augustus habet dies XXXI.

1 c	┌ Petrus ad Vincula.	43
	└ 7. Machabei mart. Ante Christum.	167
2 d	Stephanus papa Martyr.	257
3 c	Inuentio S. Stephani Protomart.	400
4 f	Dominicus Confess. Instit. ord. Pred.	1223
5 g	Dedicatio Mariæ ad Niues.	360
6	┌ Transfiguratio Domini instituitur.	1456
A	└ Sixtus, Felix, & Agapitus, mart.	259
7 b	Donatus Episcopus mart. Aretius.	362
8 c	Ciriacus, Largus, Smaragdus.	310
9 d	Romanus miles Martyr.	259
10 e	Laurentius Diaconus mart. Romæ.	259
	└ Tiburtius martyr Romæ.	301
11 f	┌ Susanna Virg. nobil. mart. Romæ.	290
	└ Clara virg. nobilis Afsisi.	1254
12 g	Hippolytus cum famil. mart. Romæ.	259

Eusebius

14 b	Eusebius Presb. Confessor Romæ.	347
15 c	Assumptio B. Mariæ Virginis.	47
16 d	} Arnulphus Episc. Metens. Confessor.	641
	} Rochus Confessor Lugduni.	1322
17 e	Iero. Presb. mart. In Hollandia.	870
18 f	} Helena mater Constantini.	330
	} Agapitus martyr Prenestinus.	171
19 g	Ludouicus Episc. Confessor Tholos.	1294
20 A	Bernardus Abbas Clareuallens.	1154
21 b	Anastasius martyr Salonæ.	172
22 c	} Timotheus martyr Romæ.	308
	} Hippolitus Presb. mart. Ostiæ.	240
	} Symphorianus mart. Augustoduni.	271
23 d	Sachæus quartus Episc. Hierosolym.	113
24 e	Bartholomæus Apostolus Romæ.	73
25 f	Ludouicus III. Rex Francia Confess.	1227
26 g	Zepherinus papa Martyr.	218
27 A	Rufus martyr Capuæ.	80
28 b	} Augustinus Episc. Hipponensis.	432
	} Hermes martyr Romæ.	116
29 c	} Sabina virg. nobil. mart. Romæ.	32
		130
30 d	Felix & Adauctus mart. Romæ.	288
31 e	Paulinus Episc. Confess. Treueris.	352

September habet dies XXX.

1 f	} Egidius Abbas in Prouincia.	720
	} 12. Fratres martyres Beneuenti.	258
2 g	Iustus Episcopus Lugdunensis.	279

** 4

Remaclus

3	A Remaclus Episc. Leod. Stabuleti.	652
4	b Moyfes Propheta, ante Christum.	1470
5	c Bertinus Abbas Monast. S. Audomari.	698
6	d Donatus cum alijs in Africa.	479
7	e Hildevardus Episc. Tenremundæ.	750
8	f } Natiuitas B. Mariæ. Anno mundi.	6309
	} Hadrianus cum alijs 23. mart.	606
	} Gorgonius martyr. Nicomediæ.	288
9	g } Audomarus Episc. Morinorum.	695
10	A Theodardus Episc. Leod. mart.	655
11	b Protus & Hyacinthus mart. Rom.	265
12	c Guido Confess. Anderlaci in Brab.	1112
13	d Amatus Episc. Senonensis, Duaci.	690
	} Exaltatio S. Crucis.	614
14	e } Cornelius Papa mart. Romæ.	253
	} Cyprianus Episc. mart. Carthag.	259
15	f Nicomedes Presb. mart. Romæ.	90
16	g Euphemia, Lucia, & Geminianus mart.	286
17	A Lambertus Episc. Leod. mart.	700
18	b Satyrus Confess. frater S. Amb.	380
19	c Ianuarius Episc. martyr.	285
20	d Eustachius & eius Socij.	116
21	e Mattheus Apost. & Euang. Salerni.	90
22	f Mauritius & 6666. Socij mart. Seduni.	301
23	g } Linus Papa martyr.	68
	} Tecla virg. 1. Mart. S. Pauli discip.	90
24	A Audochius Presb. mart. Augustoduni.	271
25	b Firmianus Episc. mart. Ambiani.	285
26	c Cyprianus & Iustina mart.	288

Cosmas

27 d	Cosmas & Damianus Medici. mart.	301
28 e	Vencelaus Rex Bohemiae mart.	938
29 f	Dedicatio Michaëlis Archangeli.	495
30 g	Hieronimus Stridonensis Presb.	395

October habet dies XXXI.

1 A	J Bavo Confessor Gandavi.	631
	} Piatus Mart. Tornaci.	284
2 b	Leodegarius Episc. mart. Augustod.	685
3 c	Gerardus Abbas Bronij apud Namurc.	958
4 d	Francisc. Diacon. Confess. Assisij.	1226
5 e	Placidus mart. cum multis alijs.	547
6 f	Bruno Carthus. ord. Institutor.	2101
	} Marcus Papa Confessor.	336
7 g	} Sergius & Bacchus martyres.	306
	} Marcellus & Apuleius mart.	93
8 A	Gerulphus martyr, extra Gandavum.	915
9 b	} Dionysius Rusticus, Eleutherius, mart.	99
	} Gislenus Episc. ad S. Gislenum in Han.	640
10 c	Gereon & 318 eius Socij mart.	305
11 d	Gummarus Confess. Lyrae.	760
12 e	4976. Confess. & Mart. In Africa.	479
13 f	7. Franciscani mart. Cepta.	1221
	} Calixtus Papa martyr.	223
14 g	} Donatianus Episc. Remen. Brugis.	380
15 A	Aurelia virgo Argentinensis.	450
16 b	Gallus Abbas Confessor.	590
17 c	Andreas in Crisi mart. ob imagines.	760

*** §

Lucas

18 d	Lucas Euangelista & Medicus.	90
19 e	Ptolomeus & Lucius Martyres.	144
20 f	Caprasius martyr Agenai.	306
21 g	} Hilarion Abbas Eremita.	351
	} Ursula cum XI. mill. Virg. Colon.	450
22 A	Seuerus Episcopus Rauennas.	200
23 b	Seuerinus Episcopus Colonienf.	384
24 c	Euergisus Episcopus Martyr.	625
25 d	} Crispinus & Crispinianus mart.	285
	} Chryfantus & Daria. Mart.	282
26 e	Euaristus papa Martyr.	109
27 f	Vincentius mart. Abulæ in Hisp.	285
28 g	Simon & Iudas Apost. In Perude.	64
29 A	Narcissus Episc. Hierosolymis.	194
30 b	Serapion Episc. Antiochia.	190
31 c	Quintinus mart. Apost. Veromandia.	285

November habet dies XXX.

1 d	Omnium Sanctorum festum instituitur.	841
2 e	} Omnium fidel. defunctorū commemoratio.	
	} Victorinus Episc. Mart. circa annum,	290
3 f	Hubertus Episcopus Leodiensis.	731
4 g	Vitalis & Agricola Mart. Bononia.	290
5 A	Malachias Episc. Hybernia.	1143
6 b	Leonardus Confessor Aquitanus.	546
7 c	VVillebrordus Episc. Ultraiectinus.	736
8 d	Quatuor Coronati frat, Mart,	285
		Dedi-

9e	} Dedicatio Basilicæ S. Saluatoris.	325
	} Theodorus martyr Romanus.	307
10f	Triphon, Respicius, Nympha, mart.	252
11g	} Martinus Episc. Turonensis Confess.	382
	} Mennas Aegyptius martyr.	301
	{ Martinus papa martyr.	653
12A	} Leuinus Archiepisc. mart. Gandauî.	633
	{ Lebuinus Presb. Confess. Dauent.	784
13b	Brixius Episc. Successor mart.	421
14c	Serapion martyr Alexandria.	251
15d	Machutus siue Maclouius Episc.	553
16e	Eucherius Episcopus Lugdunens.	421
17f	Greg. Thaumaturgus Episc. Neocæs.	267
18g	Dedicatio Basilicarum Pet. & Paul.	325
	} Pontianus papa Martyr.	236
19A	} Elyzabeth Lantgrauia Thuringiæ.	1226
20b	Bertualdus Episcopus in Hildesheim.	990
21c	} Festū Præsentationis B. Mariæ instit.	1464
	} Columbanus Abbas Bobij in Ital.	590
22d	Cacilia virgo nobil. mart. Romæ.	226
	{ Clemens I. Papa martyr.	92
23e	} Felicitas mart. & 7. filiorū mart. mater.	173
	{ Trudo Conf. in oppido D. Trudonis.	650
24f	Chryzogonus martyr Romæ.	302
25g	Catharina virg. nobil. mart. in Sina.	305
26A	} Petrus Episc. Alexand. Mart.	312
	} Conradus Episc. Constantiæ.	874
27b	Bellinus mart. Episc. Paduæ.	1149
28c	Oda virgo nobil. Rodæ in Campinia.	700
	Saturni.	

29 d	Saturninus martyr Romæ.	310
30 e	Andreas Apostolus. In Achaia.	62
December habet dies XXXI.		
1 f	Eligius Episc. Confess. Nouiom.	630
2 g	Bibiana virgo martyr Romæ.	353
3	A Claudius Trib. & 72. Socij. Romæ.	283
4 b	Barbara virg mart. Anno ætat. 15. Nicom.	305
	J Sabba Abbas Confess. in Cappado.	530
5 c	Crispina virg. In Africa.	281
6 d	Nicolaus Episc. Confess. Myræ.	343
7 e	Ambrosius Episc. Confess. Mediol.	390
8 f	Festum Cōcept. B. Mariæ virg. instituitur.	1466
9 g	Leocadia virg. mart. Toleti.	290
10	A Melchiades Papa martyr.	314
11 b	Damasus Papa Confessor.	384
12 c	Paulus Episcop. Narbonensis Confessor.	51
	f Lucia virg. nobil. Syracusana mart.	305
13 d	{ Iudocus Confessor.	653
	{ Autbertus Episc. Cameracensis.	643
14	Nicasius Episc. mart. Remis.	631
15 f	Valerianus Episc. Confess. Afric.	457
16 g	Euerardus Confess. apud Tornacum.	838
17	A Begga vidua soror S. Gertrudis.	676
18 b	Gratianus Episc. Turonensis Confessor.	252
19 c	Nemesius martyr Aegyptius.	251
20 d	Philogonius Episc. Antiochiæ.	318
21 e	Thomas Apostolus Indorum.	75
22 f	Schiridion martyr Alexandriæ.	251

Seruulus

23 g	Seruilus paralyticus Romæ.	593
24 A	40. Virgines mart. Antioch.	239
25 b	Natalis Christi Seruatoris.	1
26 c	Stephanus I. martyr Hierosol.	34
27 d	Ioan. Euang. & Apostolus. In Asia.	101
28 e	Innocentes Martyres in Bethleem.	1
29 f	Thomas Cantuariens. Episc.	1172
30 g	Sabinus Episc. & Socij mart.	305
31 A	Siluester Papa. Confessor.	335

FINIS.



Annorum

*Autorum et Collectorum Index & Annus
quo quisque vixerit,*

I acobus Apostolus.	
L ucas Evangelista.	
Clemens Pont. Apostol. discipulus.	
Cyprianus Carthagenensis Episcopus.	160
Patres Concilij Nicæni.	320
Athanasius Alexandrinus Episcopus.	330
Basilius Cæsariensis Episcopus.	380
Ephræm Edessenus Diaconus.	380
Chrysostrmus Constantinopol. Episcopus.	380
Ambrosius Mediolanensis Episcopus.	380
Augustinus Hipponensis Episcopus.	400
Ioannes Cassianus Abbas.	450
Gregorius Magnus Pontif. Max.	600
Ioannes Damascenus Presbyter.	770
Anselmus Cantuariensis Episcopus.	1080
Bernardus Clareuallens. Abbas.	1110
Thomas Aquinas Dominicanus.	1254
Ludolphus Saxo Carthusianus.	1330
Ioannes Thaulerus Dominicanus.	1350
Thomas Kempisus Canonic. Reg.	1410
Lau. Iustinianus Patriarcha.	1450
Nicolaus Salicetus Abbas.	1480
Ioannes Lanspergius Carthusianus.	1530
Ioannes Roffensis Episcopus.	1530
Franciscus Titelmannus Franciscinus.	1530
Florentius Harlemens. Carthusianus.	1540
	Cornelius

Cornelius Crocus Amstel, Presb.	1540
Fredericus Nauſea Vienenſis Episcopus.	1540
Iacobus Scæpperus Presbyter.	1550
Ioannes Ferus Franciscinus.	1550
Ioannes Fabri Dominicinus.	1550
Ioannes Gropperus S. R. E. Cardinal.	1550
Ant. Hemertius Canonic, Reg.	1560
Michaël Mersburgen, Episcopus.	1560
Petrus de Soto Dominicinus.	1560
Lod. Bloſius Latiensis Abbas.	1560
Mathias Sittardus Dominicinus.	1560
Pius Quintus Pontifex Maximus.	1572
Matth. Galenus Theologus.	1572
Emondus Augerius Soc. Iesu,	} Existimatur hoc anno 1572. Ad- huc in viuis esse.
Francis. Sonnius I. Antuerp. Episc.	
Guil. Lindan. I. Ruremūd. Episc.	
Corn. Iansſenius I. Ganda. Episc.	
Pet. Canisius Soc. Iesu Theolog.	
Ioan. Leyſentrit. Budiff. Decan.	
Cornel. Mufius Delph. Presb.	

His addendi,

David }
Salomon } Iudæorum Reges,
Manasses }
Simeon Iustus.
Matth. Philadelph.
Scholarius Theologus.
M. Marulus Spalatenſis

Ioan.

Ioan. Lodouicus Viues.
Martialis Masurius Theologus Parisien,
Guil. Harlem. Hieronymianus.
Simon Verrepæus Presb.

Item Libri.

Missa Eccles. Romanæ.
Missa Eccles. Aethiopicæ.
Pontificale Romanum.
Breuiarium Romanum.
Lib. veterum Prec. Græcorum.
Hortulus Animæ.
Horæ de Domina.
Viridarium Spirituale.
Euchologium Ecclesiasticum.
Preces de æterna Dei Sapientia.

PRECA-

PRECATIONVM TOTIVS
LIBELLI INDEX.

De huius libelli commoditate & vsu. Pag. 1

Preces Quotidianæ.

Meditatio & exercitium Matutinum.	8
Precatio mane expergiscentis.	9
Precatio surgentis è lecto.	9
Precat. Matutina cum surrexeris.	10
Prec. qua te Deo commendes.	10
Ad Pulsum campanæ Matutinum.	11
Precatio domum exeuntis.	11
Precatio Templum ingressuri.	12
Ingressi Templum meditatio.	12
Breuis Peccatorum coram Deo Confessio.	13
Precatiuncula ante & post quiduis operis.	15
Meditatio diurna.	15
Ad pulsum campanæ Meridianum.	16
Ad pulsum campanæ Vespertinum.	17
Meditatio ituri cubitum.	18
Prec. vbi delicti aliquid commiseris.	19
Precat. ituri cubitum.	20
Ad Angelum custodem.	20
Prec. Lectum introeuntis.	21
Cùm te ad dormiendum componis.	21
Cùm horam sonare audis.	22
Meditatio de Vitæ humanæ breuitate.	22
Meditatio valdè salutaris nunquam è mente se- ponenda.	27

Alia

271 *Alia Precationes Quotidianæ.*

Precat. qua mentem ad orandum præpares.	28
Precat. in præsentia S. Corporis Dominici.	31
Precat. ad Sanctum præsentis Diei.	34
Altera superiore breuior.	35
Ad duos vel plures præsentis diei Sanctos.	35
Altera priore breuior.	37
Precat. qua te Deo commendes.	37
Tres quotid. Precat. pro Adolescentibus.	38
I. Ut hæc Terrena nõ impediunt nobis cœlestia.	38
II. Pro felici studiorum successu.	38
III. Pro salutari vitæ statu.	39

Precationes diei Dominicæ.

Precatio qua mentem oraturus præpares.	40
Supplex oratio pœnitentis.	40
Ad Missæ Introitum.	43
Ad Litaniam seu Kyrieleison.	44
Ad Hymnum Angelicum.	44
Ad Collectam.	45
Ad Epistolam.	47
Ad Graduale & Tractum.	48
Ad Alleluia & Profam.	48
Ad Euangelium.	49
Ad Symbolum Eccles.	49
Post Symbolum.	51
Ad Offertorium.	51
Cùm dicit Sacerdos, Orate, &c.	52
Ante Præfationem.	53
Ad	

8	Ad Praefationem.	54
1	Ad sacrum Canonem.	55
4	Ad Eleuationem SS. Corp. Domini.	58
5	Ad Eleuationem SS. Calicis.	58
5	Christi pro Peccatis nostris oblatio.	59
7	Ad memoriam Defunctorum.	61
7	Ad memoriam Sanctorum.	62
7	Ad orationem Dominicam.	63
8	Ad Agnus Dei.	64
8	Ad Osculum pacis.	65
8	III. Precat, ad Communionem.	66. 67
9	Post Communionem gratiarum actio.	68
0	Ad ultimam Collectam.	69
0	Ad Sacerdotis benedictionem.	70
13	Ad SS. Angelos.	71
14	Ad B. Virginem Mariam.	71
14	Ad Sanctum praesentis Diei.	72
15	Ad duos vel plures Sanctos praesentis diei.	72
17	Christiani hominis consignatio.	73
18	Post lectas iam preces.	73
18	Meditatio de Coelesti Hierusalem.	74
49	Christia, Pietatis incitamenta.	76

Scopus vitae Christus.

Precationes Ferie II.

51	Precatio qua mentem oraturus praepares.	78
51	Supplex oratio poenitentis.	78
52	Ad SS. Trinitatem.	82

*** 2

Preca-

Precationis Dominicae paraphrasis.	84
Paraphrasis Salutationis Angelicae.	91
Contra Tentationes.	94.95.96
{ Dæmonis.	
{ Mundi.	
{ Carnis.	
Vt Deus in Messem suã bonos mittat Operarios.	97
Pro Romano Pontifice.	98
Pro Imperatore Romano.	98
Pro Ecclesia Catholica.	99
De Vita & Passione Domini.	100
Gratiarum actio.	101
Peccatorum coram Deo Confessio.	102
Ad Sanctum præsentis Diei.	103
Pro fidelibus Defunctis.	104
Precat. qua te Deo commendes.	105
Descriptio quædã vmbatica Cœlest. Hierusalẽ.	106
Prec. legenda absolutis cuiusq; diei precibus.	108
Christiana pietatis incitamenta.	108

Satis morituro;

Precationes Ferie III.

Precat. qua mentem oraturus præpares.	110
Supplex oratio pœnitentis.	110
Ad S. Trinitatem.	114
Pro vera ac Catholica Fide.	116
Pro firma & efficaci Spe.	117
Pro ardenti Charitate.	118
Precat. aurea S. Thomæ.	119
Vt	

Vt à Dæmone & peccato præseruemur,	122
Pro patientia & Mansuetudine,	123
Pro loci alicuius Episcopo,	123
Pro Rege Catholico. Vel Domino Regionis,	124
Pro Ecclesia Catholica,	125
De Passione Domini,	129
Gratiarum actio,	130
Peccatorum coram Deo Confessio,	133
Ad Sanctum præsentis Diei,	136
Pro fidelibus Defunctis,	137
Precat. qua te Deo commendes,	138
Prec. vt in Deo super omnia bona quiescamus,	139
Prec. absolutis cuiusque diei precibus,	141
Christiana pietatis incitamenta,	141

Ne vita, Tragœdia?

Preces Ferie IIII.

Preces qua mentem oraturus præpares,	143
Supplex oratio poenitentis,	143
Ad SS. Trinitatem,	148
Pro Fide, Spe, & Charitate,	149
Pro concordia Christianorum principum,	150
Precat. valdè pia & Salutaris,	152
Pro Christiana vitæ perfectione,	156
In rebus afflictis pro patientia,	157
Pro pastore vel præfecto Ecclesia,	159
Pro loci alicuius Ludimagistro,	160
Pro Ecclesia Catholica,	160

*** 5

De

De Passione Domini.	163
Gratiarum actio.	163
Peccatorum coram Deo Confessio.	167
Ad Sanctum presentis Diei.	169
Pro fidelibus Defunctis.	170
Precatio qua te Deo commendes.	171
Precat. vt ad Cœlestia iugiter erigaris.	171
Precat. absolutis cuiusq; diei precibus.	175
Christianæ pietatis incitamenta.	175

Hospes ne Curiosus.

Precationes Feriæ V.

Precatio qua mentem oraturus prepares.	177
Supplex oratio pœnitentis.	177
Ad Patrem nostrum Cœlestem.	182
Contra errores Fidei.	186
Professio Christianæ Fidei.	187
Pro Vitæ necessarijs.	189
Vt Fructus terræ conseruentur.	189
Pro salutari rerum temporalium vsu.	190
Pro vtroq; Magistratu Eccles. & Polit.	191
Pro Consanguineis & alijs.	192
Pro Ecclesia Catholica.	193
De Passione Domini.	169
Gratiarum actio.	198
Peccatorum coram Deo Confessio.	202
Ad Sanctum presentis Diei.	203
Pro fidelibus Defunctis.	204
	Precatio

Precatio qua te Deo commendes.	205
Animæ ad Cœlestem Hierus.ardens desiderium.	205
Prec. legenda absolutis cuiusq; diei precibus.	209
Christianæ pietatis incitamenta.	

Fasces, fasces.

Preces Ferie VI.

Precatio quæ mentem oraturus præpares.	211
Supplex oratio Pœnitentis.	211
Ad Filium salutis nostræ assertorem.	214
Prec. in Meritis Christi multum confidentis.	216
Pro salutari vitæ præsentis exitu.	217
Vt Christus iudex seculi venturus nostri miser.	218
Precat. petentis à Deo iustificari.	220
Pro Aduersarijs & Inimicis.	224
Pro Hæreticis, Iudæis, & Gentilibus.	225
Pro Ecclesia Catholica.	226
De Passione Domini.	227
Gratiarum actio.	229
Peccatorum coram Deo Confessio.	233
Ad Sanctum præsentis Diei.	234
Pro fidelibus Defunctis.	236
Precat. qua te Deo commendes.	236
Meditatio de lab. pro regno Cœlorū expetend.	
cū Prec. vt ipsa cœlestis Hierus. pro te oret.	237
Prec. legenda absolutis cuiusq; diei precibus.	241
Christianæ pietatis incitamenta.	241

Anti-

Antidotum vitæ, Patientia.

Preces diei Sabbati.

Precatio qua mentem oraturus præpares.	243
Supplex oratio pœnitentis.	243
Ad Spiritum sanctum Paracletum.	247
Precat. III. ad B. Virg. Deiparam.	249
Precat. III. ad omnes Sanctos.	253
Prec. Dei bonitatē & Ingrat. suam agnoscens.	257
Pro Ecclesia Catholica.	259
Pro ijs qui aberrant ab Eccl. Catholica.	260
Pro pœnitentibus & Resipiscentibus.	261
De Passione Domini.	262
Gratiarum actio.	263
Peccatorum coram Deo Confessio.	266
Ad Sanctum præsentis Diei.	270
Pro fidelibus Defunctis.	271
Precatio qua te Deo commendes.	272
Animæ ad Vitam beatam & immortalem ar- dens desiderium.	272
Christianæ pietatis incitamenta.	280
Precatiuncula pro huius libelli Collectore.	282

*Iactura nulla maior est, quàm
Temporis.*

F I N I S.

DE HVIVS LIBELLI
COMMODITATE
ET VSV.



CONSILII NOSTRI
rationem, pie & beneuole
Lector, in edendo hoc paruo
libello, paucis accipe. Supe-
rioribus annis hortatu integerrimi viri
Ioannis Belleri Bibliopola Antuerpiensis,
emisimus in lucem Precationū piarum En-
chiridion: quod licet pijs Lectoribus probari
satis intelligeret, nō desijt tamen vrgere me,
vt etiam alterum concinnarem, quod priore
concisius foret, & ad quouis circumferendū
accommodatius: cumq; instantius vrgeret,
acquieui homini multa necessitudine mihi
iam pridem coniunctissimo: & selectiores
quasque, partim ex ipso Enchiridio in com-
pendium istud transtuli, partim aliunde
conquisitas, his ipsis adieci: de quarum In-
scriptione, commoditate, & vsu, nunc bre-
uiter dicendum.

A

Pri-

Primum quidem Precationes omnes,
demptis paucis quotidianis initio positis, di-
gessi in VII. fere equalia capita, quæ sin-
gula intra dimidiatâ horæ partem, hoc est,
sub ipsa Liturgia seu Missæ sacrificio, faci-
le à quouis absolui queant: Atque hanc ob
causam inscripsimus Libellum Precatio-
num Liturgicarum nomine.

Aduertendum tamen est, solas Domini-
cæ diei preces propriè posse dici Liturgicas,
easq; Liturgiæ mysterijs ac partibus propius
esse accommodatas: Omnes vero reliquas,
nullo non loco & tempore, sub Matutinis
& Vesperis, in templo & in cubiculo, Do-
mi & foris rectè & piè legi posse: adeoque
nihil prohibere, plura capita, aut, si libue-
rit, omnia, eodem absolui die, cum huiusmo-
di Preces nulli vel loco vel tempori astri-
ctæ sint.

Porro cum videas nonnullos, qui oraturi
ignorant, aut certè nō animaduertant, quid
à Deo petere velint aut debeant, legentes
proinde Precationes, quæ oculis primùm
sub-

subijciuntur: necessariò mihi elaborandum
 putavi, ut huiusmodi Precationes huc con-
 gererem, quæ ad celebrandam Dei laudem,
 nostramq; & proximorum salutem promo-
 uendam, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ pacem,
 populiq; & Principum Christianorum con-
 cordiam, et deniq; ad omnes necessitates hu-
 manas subleuandas videantur cum primis
 destinata: Si quis tamen harum loco malit
 legere, Horas de Domina nuper reforma-
 tas, aliasq; cum ijs pias & Christianas Pij
 Quinti Pontificis Maximi approbatione,
 multaq; condonationum seu indulgentia-
 rum largitione plurimum commendatas:
 istius certè institutum non possum non ma-
 gnopere commendare.

In fine Precationum cuiusque diei, ad-
 iunxi piam aliquam Meditationem, quem-
 admodum Ecclesia Matutinis Psalmorum
 precibus, etiam Lectiones adiunxit: Illud
 vero nos eo fecimus, ut si quis ante finem
 Missæ, Precationum pensum absoluerit, in
 subiecta huiusmodi Meditatione suaviter

A 2 possit

possit conquiescere, animumq; iam velut torpescentem, quasi nouo quodam afflatum Spiritu, ad coelestium amorem ac desiderium possit denuo erigere. Adhuc vt crebra huiusmodi rerum coelestium Meditatione, discat terrena haec omnia, caduca videlicet & fluxa, contemnere, nihilq; prorsus aestimare, vt quae ad Diuorum societatem, ad honores incorruptibiles, & Regis aeterni amicitiam, properantem, multum queant remorari.

Si quem vero magis orare iuuet, quam meditari, is admodum pie fecerit, si praesentis diei Precibus iam absolutis Orationem Dominicam cum Angelica salutatione, summa cum animi attentione recitet, eamq; subinde repetat, Vel ter, ad laudem & gloriam sanctissimae Trinitatis, Vel quinquies, in gratam memoriam quinque vulnerum Christi nostri Redemptoris, aut pro custodia quinque Sensuum, per quos ceu fenestras mors ipsa ingreditur in hominis animam, Vel septies, vt praeseruetur a septem Peccatis capitalibus,

pitalibus, Postremo vel decies, si tempus sup-
 petat, pro remissione Peccatorum, quæ in de-
 cem Præcepta Dei sunt perpetrata: Deniq;
 vel plures, vel pauciores, pro ratione &
 commoditate temporis: Danda enim omni-
 no est opera, ne hoc, quidquid est temporis,
 quod in huiusmodi locis sacris ad Dei lau-
 dem, & hominum salutem expendi debet,
 fabulis, somno, aut inertio otio, inutiliter, &
 absq; vlllo Pietatis incremento vel fructu
 transigatur.

Meditationibus adieci sacras aliquot
 Sententias velut incitamenta quædã, qui-
 bus à Carnis illecebris, et Mundi istius va-
 nitate retracti, ad tollendam Crucem, &
 Carnem cum vitijs & concupiscentijs cru-
 cifigendam vrgeamur, quibusq; ad vigili-
 as & labores pro Regno cælorum alacrius sub-
 eundos, quasi stimulis quibusdã excitemur:
 Sumus enim pleriq; nostrum veluti segnio-
 res equi, aut asini verius, facile onere ali-
 quo vel minimo humeris iniecto fatiga-
 mur, libenter in via subsistimus, cessamus,

A 3 retroq;

retroq; respicimus: Calcaribus igitur ege-
mus et stimulis, quibus ad alacriter pergen-
dum impellamur. Huc igitur non parum
conducent huiusmodi Sententiæ, si, uti de-
cet, sæpius per diem mente & cogitatione
pertractentur. Sic etiam Ecclesia habet suas
Antiphonas, Responsoria & Capitula, in
quibus est vel sancta aliqua admonitio, vel
doctrina valde salutaris.

Postremò præfiximus libello quoddam
Kalendarium, seu potius Sanctorum no-
menclatorem & indicem, in eorum gra-
tiam, quos piè iuuat totius anni cuiusq; diei
Sanctum breui aliqua precatiuncula salu-
zare, colere, & in salutis suæ patrociniū
inuocare: In eo sunt Primo omnium San-
ctorum nomina, quæ sunt in Breuiario Ro-
mano nuper ex decreto Tridentini Concilij
restituta. Adhuc quorum reliquiæ apud
Brabantos, Batauos, Flandros, Atrebates
vel Hannonios asservantur. Postremo ad-
decimus nonnulla ex Vsuardi Martyrolo-
gio locupletatius hoc anno Louanij per Hie-
ronymum

ronymum *VVellaum* excuso. *Asscripsi-*
mus & annum, quo quisq; *Sanctorum* ex
hac vita decesserit, secuti annorum ratio-
nem quam in doctissimorum quorundam
Kalendarijs inuenimus.

Habes breuiter piè *Lector*, quid in hu-
iusmodi libelli editione potissimum specta-
uerimus. Reliquum nunc est, si noster hic la-
bor tibi approbetur, vt vsus *Precatiuncula*,
quam in fine libelli subiiciendam curauì,
pro me *Dominum* nonnunquam deprecetis,
vt huic tam inutili seruo, tamq; languido
& torpescenti, suo numine adesse non dedi-
gnetur: Sed remissum ac tardum tanto ve-
hementius excitet, quod tempus eius magna
ex parte iam præterierit, & lentè etiam-
num progrediatur. Bene vale beneuole *Le-*
ctor. *Mechliniæ* apud *Vestales Thaborinas*
M. D. LXXIII. mense *Decemb.*

A 4 PRE.

PRECATIONES QUOTIDIANÆ.



Meditatio & exercitium Matutinum.

I. **M**ANE cum primum expergi-
sceris, orabis ilico Dominum,
vt mentis tuæ oculos salutari lumine
Spiritus sui sic illustret, ne vnquam in
Peccati consensum, & proinde in
Mortem alliciaris ac obdormias.

II. Deinde cum surgis, munies te
signo ✝ cum ea quæ mox sequetur
Precatione.

III. Iam indutus, non statim ad
fabu-

PRECAT. QVOTID.

fabulas, aut inanes cogitationes te conuertes: Sed in silentio, mente ad Deum eleuata, præparabis te ad infra scriptas Precationes.

IIII. Posthac tecum serio propones, te nihil illo die velle committere, quo Deus aut Proximus offendatur.

V. Consultum præterea fuerit, obiter horas diei percurrere, & generatim, quid toto die facturus sis, tecum supputare.

Precatio mane expergiscentis.

Illumina, Domine, oculos meos, ne vnquam obdormiam in Mortem, ne quando dicat Inimicus meus, præualui aduersus eum. David.
Psal. 120.

Precatio surgentis è lecto.

IN Nomine Domini nostri IESV Christi Crucifixi surgo. † Ille me benedicat, † regat, † custodiat, & ad Vitam perducatur æternam, Amen. Franciscus Sounius in Catech.

Prec. Matutina cum surrexeris.

Ex Viri-
dario
Spirituali

Tibi, o sancte Pater omnipotēs, eter-
ne Deus, gratias immensas ago,
quod me hac nocte per Misericordiā
tuam custodire dignatus sis.

Et precor summam Clementiam
tuam, vt mihi concedas hodiernum
diem ita consumere in Fide, Spe, Cha-
ritate, Patientia, Timore & Sollicitu-
dine, vt seruitus mea tuæ placeat Ma-
iestati, Amen.

Pater noster, &c.

Aue Maria, &c.

Credo in Deum, &c.

Ego sum Dominus, &c.

Precatio qua te Deo commendes.

B. Aug.
Cap. 40.
Medic.

EXaudi me Trinitas sancta, & con-
serua me ab omni malo, ab omni
scandalo, ab omni mortali Peccato:
ab omnibus insidijs & infestationi-
bus Dæmonum, & Inimicorum visi-
bilium & inuisibilium, per orationes
Patriar-

QVOTIDIANAE. 11

Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & per Intercessionem omnium Sanctorum tuorum qui tibi placuerunt ab initio mundi.

Ad Pulsam Campanam Matutinum. In memoriam Incarnationis & Resurrectionis Dominicae.

Domine Iesu Christe, qui rediuiuis ex mortuis, diem illum expectatissimum, quem fecit Dominus, mortalibus reuexisti: Fac me à morte Peccatorum excitatū, in nouitate uitae ambulare, vt in Resurrectione illa, in nouissimo die, cum manifestatus fueris, Vita nostra, & ego tecum manifestes in Gloria. Qui uiuis & regnas, &c.

Cornel.
Crocus
in Prec.
Dominicae
Passionis.

Precat. Domum exeuntis.

Precor vos omnes sancti Angeli, vt vestra Intercessione mihi detur auxilium

Ioan.
Fab. in
Precat.
Christia.

xilium & potentia, vt nullus Inimicus mihi nocere possit in via: nec aqua, nec igne: Nec dormientem aut vigilantem opprimat aut lædat.

Precatio Templum ingressuri.

Ex hortulo Animar.

AVfer à me quaeso, misericordissime Deus, omnes iniquitates meas, vt ad Sancta Sanctorum, contrita & pura mente valeam introire. Saluator mundi. Qui cum Deo Patre, &c.

Ingressi Templum Meditatio.

Cyprianus sermon. de Orat. Dominica,

QVando stamus ad Orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad Preces toto corde debemus. Cogitatio omnis Carnalis & Secularis abscedat. Nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur.

Ideo & Sacerdos, ante Orationem Prefatione præmissa, parat fratrum animos, dicēdo, *Sursum corda*. Vt dum respon-

respondet plebs, *Habemus ad Domi-*
num, admoneatur, nihil aliud se, quam
Dominum cogitare debere.

Quæ enim legnitia est alienari, &
capi ineptis cogitationibus & pro-
phanis, cum Dominum deprecari,
quasi sit aliud, quod magis debeas co-
gitare, quam quod cū Deo loquaris.

Cogitemus nos sub conspectu Dei
stare, placendum esse Diuinis oculis,
& habitu Corporis, & modo Vocis.

Obseruetur semper oculis, quod
Dominus Iesus, rebus alijs quam Ora-
tioni in Templo Dei vacantes, flagel-
lo facto de funiculis, magna seuerita-
te eiecit de Templo, dicēs: *Domus mea,*
domus Orationis vocabitur.

Breuis Peccatorum coram Deo

Confessio.

Omnipotens sempiternæ Domine
Deus, confiteor & ingenuè agno-
sco coram sancta Maiestate tua miser-
simum

Marcia-
lis Ma-
surius in
institu-

nione re-
cte con-
fiteandi.

rimum me esse Peccatorem, conce-
ptum ac natum in iniquitatibus, pro-
pensum quidem ad omne malum, &
ad omne bonum inutilem.

Confiteor inquam, me mea culpa
sacrofancta Præcepta & leges tuas
absq; vlllo fine violare: Quod quidem
dum facio, eternam Perditione equis-
simo iure in me accerso & induco.

Sed tamen ô Deus, in hoc mihi to-
tus displiceo, doleo que, ac pænitet q̄
in te deliquerim, & me ipse & errata
mea verè & ex animo detestās, te sup-
plex oro & obsecro, vt Diuina Mise-
ratio tua, Miseriam meam subleuet.

Miserere igitur nostri ô Deus & Pa-
ter benignissime per Filium tuum Ie-
sum Christum Dominum nostrum,
& sordes nostras ac maculas diluens
diffunde, multiplica, & adauge in
nobis sanctissimi Spiritus tui gratiā.

Vt ex toto corde iniustitiam & ini-
quitate nostram agnoscentes, tibi

ac

ac tanto dolore odioq; Peccatorum
afficiamur, quæ veram ac salutarem
operetur in nobis Pœnitentiam, Per
Christum &c.

*Precatiuncula Ecclesiæ. Quæ cæteris Preci-
bus, ut & cuius Operi nostro, rectè præ-
mittitur & subiungitur.*

Actiones nostras, quæsumus Do-
mine, aspirando præueni, & adiu-
uando prosequere, ut cuncta nostra
Oratio & Operatio à te semper inci-
piat: & per te cœpta finiatur. Per
Christum Dominum &c.

Brenia-
riū Ro-
manum

Meditatio Diurna.

I. Interdiu dabis operam, ut eorum
memineris, quæ mane proposui-
sti facere: Et bene viuendi proposi-
tum subinde renouabis.

Simonis
Verre-
pæi.

II. Frequentissimè per diem ani-
mū tuum ad Deum, breui aliqua ceu
eiaculatoria Oratione conuerteres, ut te
illi

illi semper cognoscas esse presentem,
& propterea eum cōtinenter ob oculos
habeas.

III. Si quando aliquid aggredien-
dum tibi erit, assuesces semper præ-
mittere illam Ecclesiæ Precationem.
Actiones nostras &c. Vel Versiculum
illum Psalm. 69.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuvandum me festina.

Fran. Ti-
telman-
nus in
Psal. 69.

Qui apud Ægyptū illis Eremi cul-
toribus, in medijs etiam occupatio-
nibus & exercitijs corporalibus, vsur-
patus olim legitur.

Ad Pulsam Campanæ Meridianum.

In memoriam Mortis Dominicæ.

Iacobus
Scæppe-
rus in
Diurna-
rum pre-
cum En-
chirid.

Tenebræ factæ sunt, dum Christus
supplicium Mortis pateretur in
Cruce. Et circa horam Nonam cla-
mauit voce magna, Deus meus, Deus
meus, vt quid dereliquisti me?

Et inclinato capite, emisit Spiritū.
Et ecce, terræ motus factus est magnus,
quia

quia Mortem Filij Dei mundus sustinere non poterat. Et aperto eius latere Sanguis exiuit & aqua in Redemptionem Salutis nostræ.

Vers. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad Mortem. *Respon.* Mortem autem Crucis.

Oremus.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus, non dubitauit manibus tradi nocentiũ, & Crucis subire tormentum.

Breuiarium Romanum.

Ad Pulsam Campanam Vespertinum. In memoriam Incarnationis Dominicæ.

SVscipe, quæso, sancta Virgo Mater ex me verbum quondam tibi cælitus ab Angelo denunciatum.

Ioan. Ferrus in libello Precat.

Aue gratia plena. Dominus tecum.

Benedicta tu in mulieribus.

Et benedictus fructus ventris tui,

IESVS CHRISTVS.

B

Ipse

Ipse qui te plenam fecit Gratia,
 Nos pro sua dirigat Clementia,
 Ut in Salutis pergentes via,
 In perpetua coronemur Gloria.

Oremus.

Precat.
 Ecc. in
 Breuia.
 Rom.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis
 utero, Verbum tuum Angelo nun-
 ciantem carnem suscipere voluisti: Præ-
 sta supplicibus tuis, ut qui verè eam
 Dei Genitricem credimus, eius apud
 te Intercessionibus adiuuemur: Per
 eundem Christum Dominum nostrum,
 Amen.

Meditatio ituræ cubitum.

Simonis
 Verre-
 pai.

I. **I**Turus vesperi cubitum, primùm
 Deo gratias ages, quod illo die,
 quo tam multi propter Peccata præ-
 cipitati sunt ad Inferos, te Bonitate
 sua custodierit.

II. Deinde Peccata tua omnia, qui-
 bus illo die Cogitatione, Verbo, Ope-
 re, vel Omissione, Deum vel Proxi-
 mum

mum offendisti, reuocabis in memo-
riam, & petes à Deo veniam.

III. Postremò, orabis Deum ex
toto corde, vt curam tui suscipiat, nec
in operibus tenebrarum perire te si-
nat, Poterisq; vel sequenti aliqua vel
simili huic vti Precatiuncula.

*Precatio Meditationi subijcienda, vbi ali-
quid grauioris Delicti te commisisse
animaduertes.*

Domine Iesu Christe, Ego infelix, Anton.
vilissimus, & ingrattissimus Pec- Hemert.
cator, nunc iterum tuam Bonitatem in Spe-
hoc verbo, aut hoc facto, offendi, Ma- culo Per-
iestatè tuam dehonestauì, & te ama- fectio-
torem meum, qui mihi super omnia nis.
grattissimus esse debueras, abieci.

Heu Domine Deus meus, doleo,
quia peccaui, & quia nimis parū do-
leo, vtinam vulneres cor meum dolo-
re perfectissimæ Contritionis. Et quia
ex me est perditio & culpa: ex te vero

B 2

Mise.

Miseratio & Gratia: in Virtute tua nunc statuo supra te innixus, ab omnibus deinceps eiusmodi offensis cauere, omnesque peccandi occasiones deuitare, Amen.

Precatio ituri cubitum.

Ex Viri-
dario
Spiritali

OMnipotens sempiterne Deus, gratias ago, quod me hodie Gratia tua custodire à malo dignatus es.

Obsecro te vero, vt quidquid hac die Cogitando, Loquendo, vel Operando peccaui, per Passionē & Mortem tuam, digneris mihi homini Peccatori clementer indulgere.

Et in posterum ab omni Corporis & Animæ periculo custodire, vt incolumis ad laudandum Nomē tuæ Maiestatis exurgam, tibiq; puro Corde, ac casto Corpore, cum Gratiarū actione, lætus seruire valeam, Amen.

Ad Angelum tui custodem.

Ex Hor-
tulo ani-

OBsecro te Angelice Spiritus, cui ego indignus Peccator ad prouidendum

dendum commissus sum, vt me vbi-
 cunq; fuero, vigilantē, dormientem,
 indefinenter protegas, defendas, mu-
 nias, ab omni incurſu Diaboli.

mæ se-
 cundum
 vsum
 Leodi.

Repelle à me per Virtutem sanctæ
 Crucis ꝛ omnē tentationem Satanæ.
 Et quod mea non exigunt merita, tuis
 Precibus obtine apud altissimum Iu-
 dicem, vt nihil in me loci habeat.

Prec. Lectum introeuntis.

IN nomine Domini nostri Iesu Chri-
 sti crucifixi cubitum eo. ꝛ Ille me
 benedicat, ꝛ regat, ꝛ custodiat, & ad
 Vitam perducatur æternam, Amen.

Franc.
 Sonnius
 in Cace-
 chis.

Cum te ad dormiendum componis.

Suscipe me tuendum Iesu Christe
 præsidium nostrum. Fac, vt sopito
 corpore, animus in te meus vigilet, &
 felicem lætissimamq; cœlestē Vitam
 lætus atq; alacer contempletur, in qua
 tu es Princeps cum patre & Spiritu
 sancto. Angeli vero & puri sanctique
 animi,

Lod. Vi-
 ues in p-
 cib. ge-
 nerali-
 bus.

animi, sunt ciues ad æternitatem beatissimi.

Cum horam sonare audis.

Ioã. Fab.
in Preca.
Christ. **O** Mnipotēs, benigne, ac misericors
Deus, te oro humiliter per inno-
xiam Filij tui dilectissimi Mortem:
concede mihi Horam felicem & bea-
tam, cum Anima mea discessura est à
corpore. O Deus sis propitius mihi
misero Peccatori.

Altera.

Precatio
Ecclesiæ. Maria mater Gratia,
Mater Misericordia,
Tu nos ab hoste protege,
Et Hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine:
Cum Patre & sancto Spiritu,
In sempiterna secula.

*Meditatio de Vitæ humanæ breuitate,
& Pomparum huius seculi
vanitate.*

Vigi

Vigilate, quia nescitis diem neq; horam:

Matth. 25.

Felix anima, quæ semper cogitat de Thom.
 nouissima hora, quâdo omnia sunt Kempf-
 cessatura in hac Vita, læta & tristia, ho- sius cap.
 nores & vituperia. 25. Val-
 lis Lilio-
 rum.

Felix anima paupercula, propter
 Deum peregrina facta, quæ spernit
 omnia mundana culmina, quantum-
 cunq; sint magna & decora.

In illa vltima hora, peribunt ab
 oculis omnia Castella, Villa, & Oppi-
 da, Omnia Vasa argentea & aurea,
 Omnia fercula lauta, & pocula varia
 cum Aromatibus dulcorata.

Cessabunt pariter Tuba, Tibia, &
 Cythara, omnis Ludus, Iocus, Risus,
 Saltus, Cantus & Discantus. Quia ad
 nihilum redigentur omnium viuen-
 tium corda, & pauebit à facie Dei
 omnis terra.

O quam Sapiens, qui quotidie hæc
 pensat, & ad futura Bona, & æterna

B 4 Gau-

Gaudia percipienda cum fletu se præparat.

Beatus, qui sponte deserit, quæcunque carnaliter delectant in terra, ubi omnia sunt periculis & laqueis plena.

Beatus Peregrinus, qui sæpe gemit & dolet in hoc exilio & cupit dissolui, & esse cum Christo in Cœlesti Regno.

Beatus, qui odit hunc Mundum, & quæ in Mūdo allicere possunt ad peccandum, & fugit cum Elia in desertum locum, à facie multorum periculorum, quæ sæpe trahunt hominē incustoditum ad Infernum.

Decipitur valde, qui hic diu viuere appetit, & multa agere proponit, & nescit an crastinum habebit.

Memento homo nobilis, & diues in delicijs tuis, qualis eris post mortē in terra sepultus, & quid tunc proderunt omnes diuitiæ.

En hodie Rex viuít & imperat, &
cras

cras non inuenitur nec auditur. Hodie in alto solio sedet, & aureo pallio vestitur, & magnificatur ab omnibus, & cras priuatur diuitijs, & honoribus: Villis & Castellis: Sicut nudus venit in Mundum: sic quasi pauper & exul fertur in Sepulcrum.

Nam omnium deliciarum & pomparum seculi breuis finis, Mors, Dolor, Luctus & Pavor inuadit omnes.

Moritur Dominus Papa & Cardinalis, & succedit alius, cito moriturus. Nemo quippe vnus Diei certitudinē viuendi habet, nec impetrare potest à Papa bullam nunquam moriendi.

Quid est totum tempus Vitæ nostræ, nisi ventus volans, & aurora mane pertransiens, & hospes non reuertens? Quasi fulgur cœli, sic pereunt omnia Regna & tempora Mundi.

Numera omnes dies, horas, menses, & annos vitæ tuæ, dic vbi iam sunt. Transierunt tamquam vmbra solis, &

B 5 perie-

26 **PRECAT. QVOTID.**

perierunt sicut aranea texens, flauit
ventus & perijt opus eius.

In omni igitur opere quod agis, &
quocunq; in loco fueris, memor esto
finis vitæ tuæ, & vltimæ horæ quam
nescis.

Felix qui cupit cum Paulo dissolui,
& esse cum Christo. Hoc enim multo
melius, quam in carne diutius viuere,
& à Deo peregrinari, & in fluctibus
seculi quassari & turbari.


Si Iesum in mente semper geris &
verè diligis, & ad eum quotidie oras:
tunc vbiq; fiduciam habebis de re-
gno eius, qui ait, Volo Pater, vt vbi
ego sum, illic sit & minister meus.

Beatus ille seruus, qui meruerit au-
dire in extremis dulce verbum Chri-
sti, *Euge serue bone & fidelis, quia super
pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Do-
mini tui, Matth. 25.*

MEDI-

MEDITATIO

*Valde salutaris: Nec inter diu, nec noctu e mentē
vnuquam seponenda.*



ALIAE PRECA-
TIONES QVO-
TIDIANAE.



*Precatio qua mentem ad orandum
præpares.*

Ioã. Fab. **O**Mnipotens, clemens, & miseri-
ex ca. 13. cors Deus, tibi omnes Coelites, ci-
Medit. 8 ues superni, & cuncti beatorum Spi-
Aug. rituum ordines, gloriam & honorem
suppliciter adorantes concinunt sine
fine. Te Domine omnes Sancti, & ani-
mi iustorum magnificè & honorabi-
liter laudant. Te enim decet omnis
honor & gloria. Nec vlla est Creatura
quan-

quantumuis præstans ac felix, quæ te
satis dignè extollere & prædicare pos-
sit. Tu enim es summum illud, infini-
tum & incomprehensibile Bonum.

Tu Deus me creasti, tu me perditum
beneficio Filij tui dilectissimi, qui in
Cruce pro nobis passus est, redemisti.
Tibi vni, quidquid vel in corpore, vel
animo, boni possideo, acceptum fer-
re cogor.

Ah miser ego homunciò, portio
quædam tui plasmatis, reptile quod-
dam, desiderio magno te laudare con-
cupisco, te exaltare cupio, tibi benedi-
cere & gratias agere exopto. Sed hoc,
quamuis totus amore tui ardeam, sine
tua Gratia præstare nequeo.

Te igitur oro Deus meus, vita mea,
fortitudo mea, spes & salus mea vni-
ca, dignare me laudare te, Tu largire
& propitius concede, vt te dignè glo-
rificare possim, vtq; tibi mea laus pla-
ceat. Da mihi lumen Gratiaæ tuæ in
corde,

30 P R E C A T I O N E S

corde, verbum in ore, vt cor meum
meditetur Gloriam tuam, & lingua
mea tota die canet Laudes tuas.

Sed quia non est pulcra laus in ore
Peccatoris, & quia vir pollutis labijs
sum ego, munda obsecro cor meum
ab omni inquinamento, Sanctifica
me Sanctificator omnipotens interius
& exterius, & fac me dignum Laudi-
bus tuis.

Suscipe benignè sacrificium labio-
rum meorum, fiatque acceptabile in
conspectu tuo, & ascendat ad te in
odorem suauitatis, Memoria tua san-
cta, & dulcedo tua beatissima possi-
deat totam Animam meam, atque in
inuisibilem amorem rapiat eam.

Fac Domine vt transferatur Ani-
ma mea, de Visibilibus ad Inuisibilia,
de Terrenis ad Cœlestia, de Tempora-
libus ad Æterna bona: transeat hinc &
videat Visionem mirabilem.

O Rex mitissime moderare cor
meum,

meum, vt tibi debitum & conuenientem honorem perpetuò deferat. Tribue mihi, vt in hac Peregrinatione, & valle lacrymarum sic te possim laudare, vt per tuam Misericordiã & Gratiã, eorum consortio adiungar, qui te semper vident, iugiter & sine fine laudant in Cœlo.

*Precatio in præsentia S. Corporis
Dominici.*

EGO infelix atq; miser Peccator, & indignus Christianus, flecto genua mea ante Dominum & Salvatorem meum, qui me creauit, redemit, sustinet & conseruat, quiq; Veritas ac Vita in æternum permanet.

Pet. Canisius in Germanico Catholic. prec. libo

O Iesu Christe, verus Deus & homo, Ego te hîc præsentem adoro & inuoco, de viuę Carnis tuę & Sanguinis, Corporisq; & Animæ tuę veritate & præsentia nihil omnino dubitans. Atque ô vtinam eo te modo contem-
plari,

plari, cognoscere, diligere & laudare queam, quo te summo cum gaudio tot sanctorum Angelorum millia læti contemplantur, perfectè cognoscunt, diligunt, atq; laudant nullo vnquam in tui obsequio, tædio, vel molestia affecti.

Aue salus mundi, æternum Patris verbum, Hostia vera, Viva Caro, Deitas integra, & Vita æterna. O verè pretiosum thesaurum refertum gaudio, & mundorū cordium habitaculum. O viuum Angelorū cibum. O Panem Cœlestem longè præstantissimum. O æternum Patris Verbū, quod pro nobis factum est Caro, in eadem tamen persona Deus permanens, verus inquam tu Deus, & verus homo, modo admirabili in altari consecratus & cōmutatus. Tu spes certa ac vera Peccatorum salus, Tu languentium efficacissima medicina, Tu miserorum ac inopum ceu ingens thesaurus.

Benedi-

Benedictus sis igitur mi dilectissime Domine Iesu Christe, Tibi omnes Creaturæ laudes & gratiarum actiones concinunt, quod feruentissimo amore nostri, è cælo descendens, innocens, mundum ac nobile Corpus tuum pro nobis in ara Crucis obtuleris, quodque è mortuis resurgens, & Cælum cõscendens, nobis hoc ipsum viuum & immortale in solatium simul ac salutem tam benignè, amanter & affectuosè donaueris, ac in monumentum discessus tui, & pignus erga nos summi Amoris, in hoc Sacramento reliqueris. O tu Agnus Dei, qui tollis Peccata mundi miserere nostri, & dona nobis pacē. Quin & Animam nostram solatio ac cibo spirituali subinde refice, præsertim in extremo huius æui nostri termino, vt nec in vita, nec in morte abs te, & immensa tua Misericordia vnquam separemur. Qui cum Deo Patre & Spirit. &c.

C

Preca-

Precatio ad Sanctum presentis diei.

Simon
Verre-
pæus,

O Verè multùm beate Regni cœle-
stis incola sancte N. qui ex hac tri-
sti suspiriorũ & lacrymarum valle ad
desideratissimam sanctorum Ciuium
patriam feliciter translatus, inæsti-
mabili nunc prorsus exultas gaudio,
Deumq; qui te tanta felicitate dona-
uit, laudando glorificas, honoras, ac
colis.

Rogo, oro, & obtestor, vt ab alto te
paulum ad nos conuertas in hoc tur-
bulento huius Mundi pelago pericu-
losè etiamnum fluctuantes, tot cala-
mitatibus afflictos, tot periculis obie-
ctos, à tot hostibus impetitos.

De te igitur securus, de nobis esto
solicitus, susceptoq; salutis nostræ pa-
trocinio, offer Deo Patri preces no-
stras, offer illi gemitus nostros, suspi-
ria et lacrymas: et perfice, vt bonorum
operum vestrorum Meritis, vestrisq;
sanctis Orationibus adiuti, de hac
nau-

naufraga vita, salua naue & integris
mercibus, securum perpetuæ Gloriæ
portum valeamus nos quoq; feliciter
introire, Per Christum &c.

Altera, superiore breuior.

DEus qui animæ famuli tui sancti Idem
N. æternæ Beatitudinis præmia cō-
tulisti, concede propitius, vt cuius ho-
die memoriam religiosè colimus, eius
quoq; viuendi exemplum imitemur:
& precibus eiusdem ac Meritis æter-
nitatis Gloriam consequamur. Per
Christum Dominum &c.

Sancta Maria, & omnes Sancti in- Precatio
Eccl. Ro.
tercedant pro nobis ad Dominum,
vt nos mereamur ab eo adiuuari &
saluari, qui viuit & regnat in secula se-
culorum, Amen.

*Ad duos vel plures presentis diei
Sanctos.*

OVos electi, & o ter quaterq; beati Simon
Verre-
pæus.
Dei omnipotentis amici, sancti
C 2 N. &

N. & N. qui ad portum æternæ quietis, securitatis & pacis, post multa pericula Dei benignitate nunc appulstis, optata iamdiu patria, lætitiæque sempiterna beati.

Ecce nos infelices, & heu miserū Regni Cœlorum peregrini, ad vos gementes confugimus, supplicesq; precum, qui vos de hoc seculo nequam, ad istas Beatorum sedes subuexit obnixius obsecramus, vt nos ab alto in hoc Mortalitatæ nostræ pelago misere fluctuantes aspicere dignemini, deprecantes pro nobis Dominum, vt etiam nos ab his fluctibus in portum, ab exilio in patriam, ab hac miseria ad istam Felicitatem vestram euocare dignetur, quatenus iam adiuncti beatæ vestræ Societati, debitum laudis sacrificium, in conspectu Diuinæ Maiestatis vobiscum vnà perpetuò persoluamus. Per Christum &c.

Alterâ

Altera priore breuior.

Orate pro nobis sancti N. & N. vt
digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

Deus qui nos annua beatorum N. & N. solemnitate latificas, da, vt quos veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo.

Breuiarium Roman. ad S. Cæciliã.
Idem.

Omnes Sancti tui quaesumus Domine nos vbique adiuuent, vt dum eorum Merita recolimus, Patrocinia sentiamus, Per Christum Dominum &c.

Precatio qua te Deo commendes.

In manus ineffabilis Misericordiæ tuæ commendo animam meam & Corpus meum, Sensus & Sermones meos, Cogitationes meas, Opera mea, & omnia Corpori & Animæ necessaria.

Ex Eucharologio Ecclesi.

C 3

Introi-

Introitum & Exitum meum, Fidem et Conuersationem meam, Cursum & finem Vitæ meæ, Requiem & Resurrectionē Animæ meæ cum Sanctis & Electis tuis, Amen.

Tres quotidianae Precationes pro Adolescentibus.

I. Vt hæc Terrena non impediunt nobis Cælestia.

Breuiarium Romanum.

PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos Misericordiam tuam, vt te Rectore, te Duce, sic transeamus per bona Temporalia, vt non amittamus æterna. Per Christum Dominum &c.

II. Pro felici Studiorum successu.

Adiecta est Precibus de

CLEMENTISSIME Pater, infunde nobis per meritum Christi filij tui, Spiritus sancti gratiam, qua intellectus noster

noster liberalibus disciplinis illustretur, quas in Diuinum tuum honorem, & spiritualem nostram vtilitatem conuertere aliquando possimus. Qui uiuis & regnas Deus. Per omnia secula seculorum, Amen.

æterna
Dei Sa-
pientia.

III. Pro salutari Vitæ statu.

Domine Deus æterne, qui cuncta gubernas, disponis, & moderaris, inuoco Paternam Pietatem tuam, & peto, vt locum & statum mihi talem prouideas, vbi congruenter ad tuam Gloriam & ad meam Salutem tibi valeam famulari. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Horæ de
Domina
secundū
vsum
Leod.

C 4 PRECA

4^o PRECATIONES
DIEI DOMINICÆ.



Precatiuncula qua mentem oraturus præpares.

Simon
Verre-
pæus,

CLementissime Domine IESU, tu me rege, ac posside, vt Preces meas debite ac deuote persoluam, ad nominis tui gloriam & animæ meæ salutem, Amen.

Supplex oratio Pœnitentis.

Ioã. Fab.
in Preca.
Christia.

Miser ego Peccator, confiteor Deo Patri omnipotenti, & dilecto eius Filio Iesu Christo nostro Redemptori: nec

PREC. DIEI DOMIN. 41

Sri: nec non beatæ Mariæ Virgini Dei
Genitrici, atq; omnibus Coelestibus:
Confiteor ex toto corde meo varia
Peccata mea, quæ sic in carne mea
cumulata sunt, quemadmodum are-
na in littore maris, et quemadmodum
onus graue, grauata sunt super me.

In quibus huc vsq; ð Deus, secun-
dum eius Voluntatem, qui Princeps
est huius mundi, vitam transegi, &
Carni meæ obsecutus, quidquid pra-
uæ Cupiditates suaferunt, feci, In va-
nitate mearum Cogitationû, In otio-
sis Verbis, & inuili Loquacitate. In
Stultitia operum, In cæcitate Cordis,
In Philautia, & ridiculo meipsum
amore. In externa & simulata Probi-
tatis specie. Deniq; in fucata & mor-
tua quadam Fide.

Nec insidijs & insurrectionibus
maligni spiritus, nec Carnis meæ de-
siderijs digna fortitudine & conatu
serio repugnaui: sed his potius mo-

C 5 rem

42 P R E C A T I O N E S

rem gessi, neglecta interim sancti Spiritus, & Dei mei fida admonitione: & sic Dominum Deum sæpe & multum offendi, grauiter cõcitaui: De his omnibus admisis vehementer doleo, eorumq; me ex toto corde pænitet.

Nunc autem venio miser ego Peccator in tempore Gratia & Misericordia, ad hoc asylum confugio, & Dominum Deum meum supplex oro, vt dignetur mihi veram & Christiano homine dignam Fidem donare, vt frigidum meum Cor, ardore sui Amoris inflammet & accendat. Utq; propter Filium suum dilectum Iesum Christum, omnibus meis Peccatis clementer ignoscat, & veniam largiatur, hocque in me efficiat, vt adiuuante sua Gratia, indies me renouare possim, vt omnibus huius mundi illecebris & voluptatibus valedicam, & semel repudiatas cõstanter relinquam.

Utq;

Vtq; in posterum temperans, sobrius, iustus, castus, obediens, clemēs, mitis, modestus, et humilis existam, vt secundum voluntatem Diuinam in timore Domini, in hac ærumnosa vita, & Lacrymarum valle possim versari, vt mundo, omnibus, & mihi ipsi mortuus, aduentum Saluatoris Iesu Christi pura conscientia fretus, bonis operibus ditatus, purus ac sine crimine, lætitia spiritali, et spe bona plenus, expectem.

Ad Missæ Introitum.

Te Patrem ingenitum,
Te Filium vnigenitum,
Te Spiritum sanctum paracletum,
Sanctam & indiuiduam Trinitatem
toto corde & ore confitemur, laudamus, atq; benedicimus.

Gloria Patri, qui creauit nos.
Gloria Filio, qui redemit nos.
Gloria Spiritui sancto, q̄ sanctificauit nos,
Gloria summæ et indiuiduæ Trinitati,

Aug. c2.
11. Med.

Ibidem.
cap. 330

44 P R E C A T I O N E S

nitati, cuius opera inseparabilia sunt,
cuius Imperium sine fine manet.

Te decet laus, Te decet Hymnus,
Tibi debetur omnis honor, Tibi be-
nedictio & claritas, Tibi virtus & for-
titudo Deo nostro in secula seculo-
rum, Amen.

Ad Litaniam, seu Kyrie eleison.

Ex Lita- Kyrie eleison.

nia Eccl. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater de Cœlis Deus.

Fili Redēptor Mūdi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas vnus Deus.

} Misere-
re
nobis.

Miserere, miserere, miserere Domi-
ne Populo tuo, quem redemisti Chri-
ste Sanguine tuo, ne in æternum ira-
scaris nobis.

Ad Hymnum Angelicum.

Angeli
Luc. 2.

GLoria in excelsis Deo: Et in terra Pax
hominibus bonæ Voluntatis.

Lauda-

DIEI DOMINICAE. 45

Laudamus te, Benedicimus te, Ado-
ramus te, Glorificamus te, Gratias
agimus tibi propter magnam Glo-
riam tuam. Domine Deus, Rex Cœ-
lestis, Deus Pater omnipotens, Domi-
ne Fili vnigenite Iesu Christe, & san-
cte Spiritus.

Domine Deus, Agnus Dei, Filius
Patris, Qui tollis Peccata mundi, mi-
serere nobis. Qui tollis Peccata mun-
di, suscipe Deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris, mise-
rere nobis.

Quoniam tu solus sanctus, Tu solus
Dominus, Tu solus altissimus, Iesu
Christe, cum sancto Spiritu in Gloria
Dei Patris, Amen.

Ad Collectam.

OMnipotens sempiterne Deus, te
suppliciter oramus, vt respicere
digneris de excelso Sanctuario super
congregationem nostram: Ecclesie q̄s
tua

Iacobus
Scappe-
rus in
Precat.
Lit.

tuarum Preces, pro nobis omnibus ad te Sacerdotis huius ministerio destinatas clementer acceptes & exaudias.

Ideoque pro immensa tua Misericordia largiaris nobis Peccatorum nostrorum condonationem, Integritatem mentis, Incolumitatem corporis, Necessariam Vitae sustentationem, Pacem in diebus nostris, Aeris temperiem, Fertilitatem terrae.

Catholicae Fidei unitatem, Extirpationem omnium haeresion, Consiliorum impiorum destructionem, Verae, Orthodoxaeque Religionis incrementum, Flagrantiam Caritatis ac Pietatis omnis. In Precatione sinceram Deuotionem, Tolerantiam longanimitatemque in Afflictionibus, In spe gaudium.

Et quidquid denique siue ad Animae, siue ad Corporis salutem confert, tuaeque unius seruit cum primis
Glo-

DIEI DOMINICAE. 49

Gloria. Per Dominum nostrum Ie-
sum Christum filium &c.

Ad Epistolam.

O Pater Cœlestis, Domine Cœli & Idem eo-
Terra, qui nunquam desinis nos de loco,
indignos famulos tuos, publico Ec-
clesiæ tuæ ministerio, Apostolicis,
Propheticisque ac alijs hagiographi-
cis, tum doctrinis, tum adhortationi-
bus excitare, in Fide confirmare, ad
tui Amorem, atque cultum Iustitiæ
sincerum prouocare, Aduersus deni-
que scelerum tentationumque vndas
præmunire.

Da quæsumus per Spiritum tuum,
vt salutaria illorum dogmata ac mo-
nita, omnes & ex animo amplecta-
mur, & per omnem Vitam ipsis etiam
factis sedulo serioq; exprimamus, ad
tuam solius Gloriam, ad pium proxi-
morum nostrorū exemplum, & Ani-
marum nostrarum salutem, Amen.

Ad

Ad Graduale & Tractum.

Ex Psal. **D**OMINE ne secundum Peccata
nostra facias nobis, neque secun-
dum Iniquitates nostras retribuas no-
bis.

Domine ne memineris Iniquita-
tum nostrarum antiquarum. Cito an-
ticipent nos Misericordiae tuae, quia
pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster,
& propter Gloriam Nominis tui libe-
ra nos, & propitius esto Peccatis no-
stris propter Nomen tuum.

Ad Alleluja & Profam.

Ex Profa **O** Adoranda vnitas, **O** veneranda
Eccl. de Trinitas, Per te sumus creati vera
S. Trini. Aeternitas, Per te sumus redēpti sum-
ma tu Caritas.

Populum cunctum tu protege, sal-
ua, libera, eripe, & emunda, Te adora-
mus omnipotens, tibi canimus, tibi
laus & Gloria per infinita seculorum
secula, Amen.

Ad

Ad Euangelium.

Domine Iesu Christe, qui vt olim Iacobus
doctrinam gratiamque Euangeli- Scappe-
cam viuo ore prædicasti mortalibus: rus in
Sic iam per Euangelistarum tuorum Precat.
scripta nobis eandem clementer & Lit.
proponis & instillas.

Aperito, quæsumus, mentes no-
stras, vt Verbum tuum saluificum,
cum probè intelligamus, tum seriò
amplectamur, eiq; & Fide flagranti, &
syncera Caritate ad finem vsq; con-
stanter adhæreamus, Amen.

Symbolum Ecclesiasticum.

Credo in vnum Deum, Patrem omni- Patres
potentem, Factorè Cœli & Terræ, Concilij
Visibilem omnium & inuisibilem. Nicæni

*Et in vnum Dominum Iesum Chri-
stum Filium Dei vnigenitum. Et ex
Patre natū ante omnia secula, Deum
de Deo, Lumen de Lumine, Deum
verum, de Deo vero. Genitum, non
factum,*

factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines, & propter nostram Salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Et homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato.

Passus & sepultus est, Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum Gloria iudicare vivos & mortuos, Cuius Regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem, Qui ex Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, Qui locutus est per Prophetas.

Et vnā, sanctā, Catholicā, & Apostolicā Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in Remissionē Peccatorum, Et expecto Resurrectionem
mor-

mortuorum. Et vitam venturi seculi,
Amen.

Precatio post Symbolum.

DEus præstet nobis suam Gratiã
per Iesum Christum & Spiritum
sanctum, vt omnes in vera & sincera
huius sacrosanctæ Fidei Christianæ
professione, in finem vsq; perseuere-
mus, atq; in ea ipsa certamen bonum
cerremus, exercêtes nos in omni San-
ctimonia & pietate: quo post hanc vi-
tam à iustissimo fidelissimoq; Impe-
ratore & Agonothete nostro, coro-
nam Iustitiæ cum omnibus Electis
percipiamus, Amen.

Mich.
Mersbur
genf.
Conc.
XI. Ca-
techis.

Ad Offertorium.

Domine sancte Pater, qui per Ie-
sum Christum Filium tuum noui
Testamenti nouam Oblationem do-
cuiſti, quam Ecclesia à sanctis Apoſto-
lis accipiens, in vniuerso Mũdo offert
tibi Deo rerum omnium Creatori, &

Ioan.
Grop. in
Precat.
Litur. ex
Irenæo
& B. Au-
gust.

D 2 Serua-

ri, per
pro-
dit de
piritu
o fa-
obis,
rexit
Et as-
eram
cum
uos,
num
lioq;
io si-
Qui
m, &
teor
Pec-
nem
nor-



42 P R E C A T I O N E S

Seruatori, proferens significante mysterio primitias ex tuis Creaturis & donis, Panem & Vinū aqua mixtum, in Carnem & Sanguinem dilecti Filij tui mox consecranda. Vt ea Oblatione repræsentet illum qui est Panis viuus descendens de Cœlo, dans vitam mundo, Qui & Sanguine & aqua de latere suo profluentibus, lauit nos à Peccatis nostris.

Digneris summe Deus, hanc Oblationem, quam Ecclesia tua Catholica tibi per Sacerdotem nostris votis accedentibus offert, placatus accipere, pro cūcto populo tuo, quem acquisi- uisti precioso Sanguine eiusdē dilecti Filij tui Domini nostri Iesu Christi.

Cum dicit Sacerdos, Orate pro me.

Ex Psal.
19. &
Hortulo
Animæ,

Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto, et de Syon tueatur te, memor sit omnis Sacrificij tui, & suscipiat illud de manibus tuis ad laudem & Glo-

& Gloriam Nominis sui, ad Salutem
& remedium Animarum nostrarum,
& omnium fidelium Viuorum & De-
functorum, Amen.

Ante Praefationem.

Domine qui iustificas impios, & vi-
uificas mortuos: viuifica & resu-
scita me Domine Deus meus. Da mi-
hi Domine compunctionem cordis,
& Lacrymas oculis meis, vt diebus ac
noctibus omnes negligentiae meae dies
defleam cum humilitate & puritate
cordis.

Ioan.
Grop. in
Precat.
Liturg.

Appropinquet Oratio mea in con-
spectu tuo Domine. Si iratus fueris
Domine contra me, quem adiutorem
quæram? aut quis miserebitur iniqui-
tatibus meis? Memêto Domine quod
Cananaeam & Publicanum vocasti
ad Pœnitentiam, & Petrum lacry-
mantem suscepisti: & meas Preces
suscipe misericors. **DEVS** Saluator,

D 3 qui

qui viuis & regnas in secula seculo-
rum, Amen.

Ad Præfationem.

Iacobus
Scap. in
Precat.
Liturg.

CELSISSIME DEVS ac Pater, euehe
quæsumus Corda nostra à terrenis
ad Cœlestia, vt te vnum & cogite-
mus, & loquamur, & vita tota expri-
mamus, teque solo fruamur in æter-
num.

Præfatio
Ecclesie.

Gratias agamus Domino Deo no-
stro. Verè enim dignum & iustum est,
æquum & salutare, nos tibi semper &
vbique gratias agere, Domine sancte,
Pater omnipotens, æterne Deus. Per
Christum Dominum nostrum.

Per quem Maiestatem tuam lau-
dant Angeli, adorant Dominationes,
tremunt Potestates. Cœli Cœlorum-
que Virtutes, ac beata Seraphin, sociâ
exultatione concelebrant. Cum qui-
bus & nostras voces vt admitti iu-
beas deprecamur, supplici confessio-
ne dicentes:

San-

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Xystus
 Deus Sabaoth. Pleni sunt Cæli & ter- Papa ex
 ra Gloria tua, Hosanna in excelsis. Be- Esa. 6. &
 nedictus qui venit in nomine Domini Matt. 21.
 Hosanna in excelsis.

Ad sacrum Canonem.

Svmme Sacerdos ac verè Pontifex Ioan.
 Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Grop. ex
 Patri in ara Crucis hostiam puram & Prec. 1.
 immaculatam pro nobis miseris Pec- prepar.
 catoribus. Qui Carnem tuam & San- ad Miss.
 guinem nobis in Sacramento (quod B. Amb.
 tua Diuina omnipotentia conficitur)
 reliquisti, & hoc Sacrificiũ instituisti,
 quod offerri præcepisti in Cõmemo-
 rationem tui pro Salute nostra.

Per hanc omnipotentiam tuam, te
 rogo, vt concedas mihi Peccatori ve-
 nerandæ Passionis tuæ dignam me-
 moriam agere, & me totum, mea que
 omnia tibi, qui es Dominus & Redẽ-
 ptor meus, resignare & consecrare, &

D 4

huic

huic Cœlesti Sacrificio interesse cum timore, & tremore, & cordis puritate, & Lacrymarum fonte, cum lætitia spiritali & Cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinē beatissimæ præsentiaæ tuæ, & excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo, Amen.

Ambros. Ecce dum pro me sollicitus talia postulo, meminisse Caritatis debeo, ut & pro alijs te exorem. Te igitur amatorem Ecclesiæ tuæ deprecor Deus.

Prec. 2.
præpar.
ad Miss.

Pro Sacerdotibus eius, ut Verbis simul & Meritis vitæ populum sibi creditum ad Cœlestem patriam inuident.

Pro Regibus, Ducibus, & ijs qui in sublimitate positi sunt, ut patres Orphanorum, & iudices Viduarum semetipsos exhibeant, miserijsq; inopum, & gemitibus pauperū doleant, nil nisi quod iustū est, in iudicio quarant, sicq; administrent præsentia, ne amittant bona futura.

Pro

*Pro Virginitibus, Continentibus, ac mū-
do renunciantibus, vt præsentia de-
spiciant, futura requirant, ne se nego-
cijs secularibus implicent, vt tibi mi-
litantes placeant, cui se probauerunt.*

*Pro Coniugatis, vt tali affectu se dili-
gant, ne à desiderio Patriæ Cœlestis
exorbitent.*

Pro vniuersa S. Ecclesia Catholica, pro Ex Cap.
40. Med.
B. Aug.
*viris & fæminis, Pro Religiosis & Se-
cularibus, Pro omnibus Rectoribus
Christianorum, cunctisque in te cre-
dentibus, qui pro amore tuo sancto
laborāt, vt perseuerantiam boni ope-
ris obtineant.*

Oro quoq; Domine, Clementiã tuam, Ambros.
Prec. 1.
Præpar.
ad Miss.
*vt sereno vultu nos famulos tuos sacri
tui nominis officia præstolantes aspi-
cere digneris.*

*Et vt efficax hæc mea sit Depreca-
tio,*

*B. Mariæ Virginis suffragia peto,
Apostolorum Intercessionem imploro,*

D 5

Marty.

58 PRECATIONES

Martyrum Preces deprecor,
Confessorum Orationes exoptulo.

Talium Domine Preces nunquam
spernis, si ut pro me exorent, ipse in-
spiraueris. Qui in æternitate perenni
viuis & regnas cuncta per secula, & in
omnibus seculis, Amen.

*Ad eleuationem SS. Corporis
Domini.*

Petrus
Canis.

AVe Salus mundi, æternum Patris
Verbum, Hostia vera, viua Caro,
Deitas integra, & Vita æterna.

Iacobus
Scap. in
Precat.
Liturg.

Domine Iesu Christe, qui in vltima
cœna, suspiciendum hoc & adoran-
dum veri tui Corporis Sacramentum
in amarissimæ Passionis tuæ memo-
riam instituisti. Miserere mei, & da
quæso, vt nunquam in me Passio tua
inueniatur esse perdita, Amen.

Ad eleuationem SS. Calicis.

Io. Grop.
in Prec.
Liturg.

SAlue nobilissime Sanguis, de latere
Domini mei Iesu Christi profluens,
& to-

DIEI DOMINICAE. 59

& totius veteris & nouæ culpæ maculas diluens. Ablue, sanctifica, & custodi animam meam in Vitam æternam.

Domine Iesu Christe, qui in vltima coena hoc suspiciendum & adorandum veri tui Sanguinis Sacramentum instituisti in amarissimæ Passionis tuæ commemorationem, in qua preciosissimus ille Sanguis tuus in humani generis Redemptionem effusus est: miserere mei, ac ne finas obsecro, vt vnquam ille pro me frustra effusus esse inueniatur: sed mihi cum cæteris Electis conducat & efficax sit ad Vitam æternam, Amen.

Iacobus
Scap. in
Precat.
Liturg.

Christi pro Peccatis nostris ad Patrem Oblatio.

OMnipotens Pater, qui sic dilexisti mundum, vt Filium tuum vnigenitum dares, vt omnis qui credit in illum non pereat: sed habeat Vitam æternam. Per hunc dilectum Filium tuum, cuius

Ioan.
Grop. in
Prec. Lit.
ex 5. cap.
Medit.

60 P R E C A T I O N E S

cuius beatissimam Passionem, et glorio-
siam Resurrectionem, & in Caelos
Ascensionem recolo: te oro, educ de
carcere animam meam ad confiten-
dum Nomini tuo.

Et quem propria merita, faciunt
latalem timere sententiam: per huius
dilecti Filij tui ad dexteram tuam cō-
sedentis Interpellationē, restaura pla-
catus ad Vitam, Quem enim alium
dirigam Intercessorem ad te, nisi hūc,
qui est propitiatio pro Peccatis no-
stris?

Ioā. Fab.
in Prec.
Christia,

Ecce Aduocatus meus apud te
Deum Patrem: Ecce Pontifex sum-
mus, qui nō alieno eget expiari Cruo-
re, quia pprio refulget perfusus San-
guine. Ecce hostia sancta, benepla-
cens, & perfecta in odorem suauitatis
oblata & accepta.

Ecce Pater optime Agnus ille in-
nocens sine macula, qui inter manus
tondentium obmutuit, hic est Filius

TUIS

DIEI DOMINICAE. 60

tuus dilectissimus, qui a lapis caesus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit, En qui Peccatum non fecit, Peccata nostra pertulit, & Languores nostros suo liuore sanauit.

Te igitur oro Rex æterne per Filium tuum, parce & ignosce Peccatis meis, Præsta mihi vires, vt possim secundum legem tuam viuere & in bono perseuerare. Fac iudicium mite, & post huius Vitæ misérias, æternam illam largire, Amen.

Ad Memoriam Defunctorum.

Domine Deus Pater sancte, cuius Ioan. Fe-
Misericordia magna, cuius rus in li-
cordia æterna est, memeto quæso om- bell. Pre-
nium Credentium, qui Christianè & catio
piè obdormierunt.

Memento Auorum, Parentumque
nostrorum, Patris & Matris, Fratris
& Sororis, & omnium Cognatorum:
& Gra-

& Gratiam quam de te per Christum sperauerunt, remissis cunctis criminibus eorum, propitius tribue.

Ne in iudicio cum eis contendas: ne à sinistris eos deinde statuas: ne æternis cruciatibus eos adiudices: sed eos tecum in sempiternam requiem & gaudia suscipias, vbi te sancta Trinitatem cum omnibus Electis videant & celebrent, eaq; omnia feliciter percipiant, quæ hic firmiter crediderunt, per Mortem & Resurrectionem Filij tui Iesu Christi, Domini & Redemptoris nostri, Amen.

Ad Memoriam Sanctorum.

Joan.
Grop. in
Precat.
Liturg.

Mihi quoq; Domine indigno seruo tuo, secundum multitudinem Miserationum tuarum miserearis, & concessa in presenti Scelerum venia, ne me sinas in futuro seculo excruciarum cum impijs: Sed aliquam portiunculam dones cum Sanctis tuis in Coelis,
qui

qui in tua membra coaptati, & in te
vnum corpus effecti, gratias ob tuum
pro se effusum preciosum Sanguinem
(quo illos lauisti) rependentes,
pro te et fratribus suis gloriosum Sanguinem
fundere non dubitarunt, et in
Morte te sunt imitati, & ideo coronas
triumphales meruerunt. Quorum me
licet imparem Meritis, participem tamen
fac sola Misericordia tua, succur-
rentibus eorum Meritis & Precibus,
Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Hic primum legatur Oratio Domi-
nica. Deinde Pacem, quam Chri-
stus sacrosancto suo Sanguine conciliauit
his verbis exoptabimus.

Libera nos, quæsumus Domine, ab
omnibus Malis, præteritis, præsentibus,
& futuris. Et intercedente beata
& gloriosa semper virgine Dei Geni-
trice Maria: & beatis Apostolis tuis
Petro & Paulo, atque Andrea, cum
omni

Ex Mis-
sali Ro-
mano.

omnibus Sanctis, da propitius Pacem
in diebus nostris, vt ope Misericordiae
tuae adiuti, & à Peccatis simus semper
liberi, & ab omni perturbatione secu-
ri. Per eundem Dominum nostrum
Iesum Christum, &c.

Ad Agnus Dei.

Ex Ioan.
Fabro &
2. Cap.
Soliloq.
B. Aug.

OMnipotens, misericors Deus, ò
Creator, ò Plasmator meus, Ego
Creatura tua sum, Manus tuae fece-
runt me, illae inquam manus, quae in
Cruce pro me Clavis transfixae sunt,
Opus manuum tuarum ne despicias:
sed Vulnera Manuum tuarum aspi-
cias: Ecce in Manibus tuis Domine
descripsisti me, Lege ipsam scriptu-
ram & salua me.

Quid est homo, vt possit alloqui
Deum Factorem suum? Ignosce mihi
seruo tuo, qui praesumo colloqui tan-
to Domino, Legem non habet Neces-
sitas. Dolor me compellit dicere, Ca-
lami-

lamenta, quam patior, cogit me exclamare.

Ægrotus sum, propterea ad Medicum clamo. Cæcus sum, ergo ad lucem propero. Mortuus sum, ad Vitam suspiro. Ad te Iesu Nazarene festino, qui es fons Vitæ.

O Iesu fili David, miserere mei, Miserere mei fons Misericordiæ. Audisti me infirmum ad te clamantem, Exaudi me, Domine Deus, ad honorem tui Nominis & Animæ meæ felicitatem, Amen.

Ad Osculum Pacis.

DA Pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Antiph.
Eccles.

Vers. Fiat Pax in Virtute tua.

Respon. Et Abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis Collecta
Ecclesiar.

E

tuis

tuis illam quam mundus dare nō potest Pacem, vt & corda nostra Mandatis tuis dedita, & Hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Communionem.

Antiph.
et Colle.
Eccles.

O Sacrum Cōuiuium in quo Christus sumitur.

Recolitur memoria Passionis eius.

Mens impletur Gratia.

Et futuræ Gloriæ nobis pignus datur.

Oremus.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, vt Redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui uiuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

II.

II.

Pater Miserationum Domine Deus
 clementissime, Da precor, vt in cru-
 entum hoc sacrosancti Corporis &
 Sanguinis Filij tui Domini nostri Iesu
 Christi Sacrificium, quod hic & ubiq;
 pro Ecclesie sancte deuotione in sem-
 piternam memoriam, quotidianamq;
 gratiarum actionem nostro omnium
 bono offertur, Misericordiam nobis
 apud te impetret, & Salutem obtineat
 sempiternam, Amen.

Ioan. Fe-
 rus in
 Precat.
 Liturg.

III.

Dominator & Saluator vniuersae
 Creaturae, qui omnem meam In-
 firmitatem curare vales, quoniam Do-
 minus potens es. Et vis propitiari Ini-
 quitatibus meis, quia Saluator es, &
 ad hoc in mundum venisti, vt perdita
 quaeras, & salues quae perierint.

Michael
 Episco-
 pus Merl-
 burg. in
 explicat.
 S. Cano-
 nis Mit-
 sae.

Concede pro bonitate tua & Mife-
 ricordia ad meam etiam seruire Sa-
 lutem,

E 2 lutem,

68 P R E C A T I O N E S

Autem, quod pro omnium Redem-
ptione dignatus es impendere, vt vir-
tute sacrosancti Corporis & Sangui-
nis tui, mūdus à Peccatis, purus à for-
dibus, & à periculis liber efficiar. Da
vt hac Cœlesti alimonia saginatus, in
fortitudine Cibi illius, viam Manda-
torum tuorum indefessus percurram:
Præueni me Gratia tua, ne à te me se-
parent vllæ Iniquitates in præsentī se-
culo. Subsequatur me Misericordia
tua, ne me à Beatitudinis tuæ consor-
tio, repellas in futuro.

Post Communionem, Gratiarum actio.

Jo. Ferus
in libell.
Precat.

GRatias ago tibi Deus omnipotens,
quod licet indignus sim tua Men-
sa Cœlesti, spiritaliter tamen sumendi
Corpus & Sanguinem Filij tui Do-
mini nostri Iesu Christi, à Sacerdote
corporaliter modo sumpti, gratiam
mihi Peccatori præstiteris & deuo-
tionem.

Cum

DIEI DOMINICAE. 69

Cum ergo Creatura tua sim, o Pa-
ter, inclina precor in me aures tuas, &
concede, vt hæc salutaris Eucharistiæ
perceptio, mihi et omnibus fidelibus,
Viuis simul & Defunctis proficiat.
Tum vt læti in Sanctorum Electorum
que omnium communionem in ex-
tremi Iudicij die resurgentes, cum oui-
bus ad dexteram Filij tui Domini no-
stri Iesu Christi iudicantis mundum,
presentemur, Amen.

Nunc dimittis seruum tuum Domi- Simeon
ne secundum verbum tuum in pace. iustus
Quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Luc. 2.
Quod parasti ante faciem omnium
populorum.

Lumen ad reuelationem gentium, &
gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri &c. Sicut erat, &c.

Ad ultimam Collectam.

OMnipotens, æterne, Misericors Ioã. Fab.
Deus, non equidem dignus sum in Prec.
E 3 pro- Christia.

propter Scelera & Peccata mea, qui in conspectum Maiestatis tuæ veniā, & coram te compaream aliquid petiturus, multo minus vt exaudiar, & quod peto, à te feram: Sed quia tu ex Amore paterno vnigenitum Filium tuum constituisti Mediatorem inter te & Peccatores miseros, inter quos me infelicissimum agnosco.

Hunc tibi Conciliatorem nostrum offero, magna spe ductus, quod tua Maiestas huius respectu, me exauditura sit propter hunc me voti mei reddet compotem, quem tu perpetuò honoras, & cui nihil denegas.

Te oro, vt hoc Sacrificiū, hanc Victimam à me Peccatore misero suscipias, nec patiaris, vt in expectatione mea confundar, Amen.

Ad Sacerdotis Benedictionem.

Precatio
Ecclesie. **C**OElesti benedictione benedicat nos Diuina Maiestas, & vna Deitas,

tas, Pater, ✠ & Filius, ✠ & Spiritus sanctus, ✠ Amen.

Ad SS. Angelos.

PRecor vos omnes SS. Angeli: vt vestra Intercessione mihi detur auxilium & potentia, vt nullus Inimicus mihi nocere possit, in Via, nec Aqua, nec Igne. Nec dormientem, aut vigilantem opprimat aut lædat.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christia.

Ad B. Virginem Mariam.

Regina Cæli, & Domina terræ, Virgo semper sanctissima, Mater Dei & Domini nostri Iesu Christi, ora & asfide intercede pro me Peccatore famulo tuo, & pro omni Ecclesia sancta Dei.

Ioan.
Cass.
Confess.
Theol.
parte, 3.

Pro remissione Peccatorum, pro augmento Virtutum, pro Pace & sanitate fidelium Populorum, Et pro cunctis famulis Dei, tam Viuentibus, quàm Defunctis.

Vt genti Peccatrici & populo pleno Peccatis, tuis Precibus, tuisq; sanctis

E 4 Meri-

Meritis misereatur omnipotēs Deus,
hic & in perpetuum.

Ad Sanctum presentis diei.

Simon
Verrep.

DEus qui animæ famuli tui sancti
N. Beatitudinis æternæ præmia
contulisti, concede propitius, vt cuius
hodie memoriam religiose colimus,
eius quoq; viuendi exemplum imite-
mur: & precibus eiusdem ac Meritis,
æternitatis gloriam cōsequamur. Per
Christum Dominum & c.

Precatio
Eccl. Ro.

Sancta Maria & omnes Sancti in-
tercedant pro nobis ad Dominum, vt
nos mereamur ab eo adiuuari & sal-
uari, Qui viuit & regnat in sæcula sæ-
culorum, Amen.

*Ad duos vel plures presentis
diei Sanctos.*

ORate pro nobis Sancti N. & N. vt
digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

Bre. Ro.
S. Cæcil.

Deus qui annua beatorum N. et N.
solem-

DIEI DOMINICAE. 73

solemnitate latificas, da qua sumus, ut quos veneramur officio, etiam pia conversationis sequamur exemplo.

Omnes Sancti tui qua sumus, Do- Idem.
minenos ubiq; adiuuent, ut dum eorum Merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Christiani hominis consignatio.

A Subitanea & improuisa mala Iacobus
Morte liberet nos omnipotēs Pa- Scappe-
ter † & Filius † & Spiritus sanctus † rus in
Amen. Prec. Lic.

Animæ omnium Fidelium Defun- Precat.
ctorum per infinitam Dei Misericor- Ecclesie.
diam requiescant in Pace, Amen.

Precatio post lectas Preces.

Misericordissime Domine, qui nos Ex Prec.
miseros Mortales non dedigna- Matthæi
tus es stare hac hora in conspectu Philad.
tuo ad te glorificandum ac prædican-
dum.

E 5 Con-

Con dona mihi, in huius Precationis tempore, commissa Errata, ne gloriatur inimicus aduersum me, quod ne in ipso quidem tempore Doxologia à Peccato mihi cauerim, Amen.

Pia Meditatio de Cœlesti Hierusalem.

B. Bernard⁹ ca.
16. de interiori
domo.

Sic in hoc Mundo viuere debemus, vt cum Corpus cœperit à vermibus deuorari in sepulcro, Anima lætetur cum Sanctis in Cœlo, Illuc Spiritus dirigendus est, quò est iturus. Illuc festinare debemus, vbi semper viuamus, et vbi mori amplius non timeamus.

Si sic amamus istam labilem & caducam Vitam, vbi cum tanto labore viuimus, vbi comedendo, bibendo, vix Carnis necessitatibus satisfacimus, multo magis amare debemus Vitam æternam, vbi nullum laborem sustinebimus, vbi summa semper iucunditas, summa felicitas, felix libertas,

tas,

tas, & felix Beatitudo, Vbi similes erūt homines Angelis Dei, & fulgebūt iusti sicut Sol in Regno Patris eorum.

Qualis enim putas, tunc erit splendor Animarum, quādo Solis splendorem habebit lux Corporum? Nulla erit ibi tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors, sed perpetua sanitas semper ibi perseuerat.

Non suggerit ibi malitia, nec carnis miseria, Nulla est ibi ægrotudo, nulla omnino necessitas, Non est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus: Non lassitudo Ieiunij, Nec vlla tentatio Inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi facultas: sed totum lætitia, totum exultatio possidet. Homines quoque Angelis sociati, sine vlla Carnis infirmitate in perpetuum manebunt.

Ibi erit iucunditas infinita, Beatitudo sempiterna, in qua qui semel suscipitur,

pitur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus, amœnitas de nouitate, securitas de æternitate, suauitas atq; dulcedo de Dei Visione.

Et quis nō illic habitare vehementer desideret, & propter Æternitatem, & propter Dei Visionem?

Christianæ Pietatis incitamenta.

Memento, vt diem Sabbati sanctifices.
Exod. 20.

Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper. Eccl. 3.

Sobrii estote & vigilate, quia Aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens quē deuoret. 1. Pet. 5.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: Sed impleamini Spiritu sancto, gratias agentes semper pro omnibus. Ephes. 5.

Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, aut turpitudō, aut
Stulti-

Stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem
non pertinet: sed magis gratiarum actio.

Ephes. 5.

Væ homini per quem scandalum venit.

Matth. 18.

Dico autem vobis, quoniam omne
verbum otiosum, quod locuti fuerint ho-
mines, reddent rationem de eo in die Iudi-
cij. Matth. 12.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.
Ioan. 13.

Scopus Vitæ Christus.

PRECA-

73 PRECATIONES
FERIÆ II.



Precatiuncula qua mentem oraturus præpares.

Simon
Verre-
peus,

CLementissime Domine Iesu, tu me rege, ac posside, vt Preces meas debite ac deuote persoluam, ad nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem, Amen.

Supplex oratio Pœnitentis.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christia,

OMnipotens eterne Deus, Domine omnis Gloriæ, Ecce ego infelix & indignus Peccator, ad te Creatorem, &

S & Redemptorem meum aspiro, ad te Iudicem meum clementem, & ad tuæ Maiestatis solium accedo, multitudinem Delictorum meorum agnosco, & ad pedes tuos proijcio, quibus primum sanctissimum Nomē tuum de-honestavi, Præcepta tua transgres-sus sum, Voluntatem & iussa flocci fe-ci, Corpus meum & Animam con-spurcaui, Misericordiæ tuæ & Gratia oblitus in malis perseueraui.

Quoties, ô mitissime Domine, In-spirationem tuam, qua ad meliora me vocasti, quoties Longanimitatem tuam, qua pertulisti me obstinatum, contempsi? Quoties non sine fœda In-gratitudinis nota, memoriâ tuæ Mor-tis preciosæ, quâ pro me misero Pec-catore subiisti, neglexi? Quoties illis, quos tu in Cruce redemisti, vita mea impura, scandala obieci? Quoties bo-nitate tua abusus sum?

Nihil

Nihil ô Deus operatus sum boni,
nec vt tibi inferuendo placerem, de-
di operam: Sed in prauis & impijs
actionibus gnauiter perstiti. Non sum
dignus, vt ad te oculos attollâ meos,
sic vultum dei i cere me cogit Con-
scientia, & tua, ô Pater, quæ penitus
me perspicit Maiestas terret.

Quo nunc confugiam? quo me lo-
corum abdâ, vbi me furor tuus non
comprehendat? Verum enim uero in
hac consternatione mentis, & tanto
pauperi, hoc mihi succurrit, hoc cogi-
to, quod tu sis Pater meus indulgen-
tissimus, qui non velis mortem Pec-
catoris, sed Misericordia multa super
Creaturam tuam mouearis.

Ad te igitur venio, qui es Pater om-
nis Miserationis, et Deus Consolatio-
nis. Te accedo trepidus, vt filius ille
Perditus. O Pater benignissime, per
summam tuam, & inexhaustam Pie-
tatem, condona mihi, & remitte om-
nia

nia mea Peccata. Libera me ab Iniustitia mea per Meritum Vitæ tuæ sanctissimæ, & Mortis acerbissimæ. Recipeme in Gratiã tuã, qua excidisse me defleo. Robur mihi & vires suppedita, vt posthac ex tua Voluntate, Vitã meã instituat. In tua gratia persistam vsq; in Vitã illã Cœlestem.

O dulcis Iesu, O præstantissima uentis Dei proles. O æterne Rex & Regni Cœlestis gubernator, qui inter Patrem tuum & nos miseros Peccatores Mediator intercedis, & noster Aduocatus patrociniũ præstas, oro te propter incredibilem illã Caritatem, quã te ex Cœlo in castissimum Virginis uterum pertraxit, quã te etiã ad Mortem Crucis perferendam commouit.

Oro te, per stillantes tuĩ Sanguinis guttas, quas pro Salute nostra profudisti, vt me Peccatorem indignum,

F

con-

consueta tibi Gratia & Misericordia foueas et amplectaris, tantumq; in me efficias, vt sanctissimæ tuæ Vitæ particeps reddar, & consors Mortis tuæ benedictæ, vt mūdo huic mortuus in tua Caritate viuam, & moriar. Et exacto huius Vitæ curriculo, ad te in Regnum tuum, in Cœlestem Patriam, tua Gratia adisciscar, Amen.

Ad SS. Trinitatem.

B. Aug.
Cap. 32.
Medit.

TE, ô beata Trinitas, Labijs & corde, omniq; qua valeo virtute laudo, benedico, atq; adoro, tuæq; Clementiæ & bonitati pro vniuersis Beneficijs tuis gratias refero, & hymnum Gloriæ tuæ cano, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Te inuoco, vt venias in me, & templum me facias dignum Gloriæ tuæ.

Rogo Patrem per Filium, Rogo Filium per Patrem, Rogo Spiritum sanctum per Patrem & Filium, vt omnia vitia elongentur à me, & omnes san-
ctæ

Et Virtutes plantentur in me. Custodi me opus manuum tuarum in te sperantem, & in tua solummodo Misericordia confidentem. Custodi me, quæso, hic & ubiq; nunc & semper, intus & foris, ut in me nullus pateat locus insidijs Inimicorum.

Tu es Deus omnipotens, custos & protector omnium in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, & non est alius Deus præter te, neq; in Cælo sursum, neq; in Terra deorsum: qui facis magnalia, & mirabilia, & inscrutabilia, quorum non est numerus.

Te decet laus, te decet honor, te decet hymnus: Tibi omnes Angeli, Tibi Cæli & vniuersæ potestates hymnos dicunt, & laudes indefinenter concinunt, utpote Creatori creaturæ, Domino serui, Regi milites. Te sanctâ & indiuiduam Trinitatem omnis Creatura magnificat, omnis Spiritus laudat.

Precaationis Dominicæ Paraphrasis.

Simon
Verre-
pæus.
Pater no-
ster.

O Pater omnipotens, pie & miseri-
cors, qui nos Bonitate tua, cum
non essemus, ad Imaginem tuam & si-
militudinem creasti: Quiq; nos mise-
ros Adæ filios, per Peccatum perdi-
tos, à Sathanæ imperio redemisti, &
inter adoptionis filios assumere di-
gnatus es: Qui nos adhæc verè pater-
no affectu, alis, doces, gubernas, susti-
nes, & conseruas: Oramus te votis ar-
dentissimis, vt nobis Gratiam tuam
largiri digneris, qua tuis Præceptis &
Voluntati alacriter obtemperantes,
possimus te verè, Patrem nostrum ap-
pellare.

Qui es in
Cœlis.

Tu quidem, ô Pater, es in Cœlis,
conditor eorum & Dominus sempi-
ternus: At nos miserabiles filij tui, hic
humi reprimus, & velut Exules à pa-
tria, in terra degimus aliena: fatiga-
mur, sudamus et ingemiscimus: Ad te
igitur, ô Pater Cœlestis, vota nostra &
deside-

desideria mittimus, suppliciter te corde deprecantes, ut animos, affectusq; nostros, ad te semper erectos, abducas ab his terrenis ad Cœlestia, à caducis ad illa vera & æterna Bona diligentibus te præparata, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Ante omnia verò, ô Pater Cœlestis, vehementer exoptamus, ut Nomen tuum, quod in se sanctum, gloriosum, et maiestate plenum est: in nobis quoque & in cunctis hominibus candore & exemplo innocentis vitæ, sanctificetur, agnoscat, colatur, & celebretur: Ut à Solis ortu vsq; ad occasum nationes omnes, te solum verum Deum cognoscentes, Sathanæ & operibus eius abrenūcient, tibi soli fidant, te solum diligant, te revereantur ac timeant: Utq; omnes omnium Cogitationes, Verba, & Opera, ad tuum solius honorem, laudē & Gloriam dirigantur.

I.
Petitio.
Sanctificetur
Nomen
tuum,

F. 3

Et

II.
Aduen-
niat Re-
gnum
tuum.

Et cum abs te vno, ô Cœlestis Pa-
ter, promânet omnis Potestas, Re-
gnum, & Imperiũ, Petimus à te sup-
pliciter, vt per Gratiã tuã & Mife-
ricordiam, ipse habites ac regnes in
cordibus nostris, profligatis illinc &
procul depulsis, Carne, Mundo, Sa-
thana, hostibus humani generis: Vt sic
Vitæ nostræ perfuncti munere, venire
tandem mereamur ex Regno Gratia,
ad Regnum illud Gloria & Beatitu-
dinis æternæ, vbi te facie ad faciem
contemplari, te perfectè diligere, &
beata tecum societate in sempiter-
num perfrui valeamus.

III.
Fiat Vo-
luntas
tua, &c.

Concede etiam nobis clementissi-
me Pater, vt quemadmodum in Cœlo
omnes Angeli & Spiritus Sanctorum,
Diuinæ tuæ Voluntati accuratissimè
obsequuntur: Ita & nobis hîc in terra,
atq; in hoc tristi exilio, & lacrymarũ
valle adhuc degentibus, ea detur Gra-
tia, vt itidem omnia ex optima tua
Volun-

Voluntate cogitemus, loquamur, & faciamus. Ut siue mori detur, siue viuere, siue prosperè nobiscum agas, siue aduersis, Diuinæ tuæ Voluntati semper gratias agamus, certò persuasi, te sapientissimum et clementissimum Patrem nihil vnquam velle, nisi quod optimum sit, ac nobis salutare.

O clementissime & benignissime Pater, in quo oculi omnium sperant, quiq; alis & pascis vniuersa sub Cœlo animantia: En nos famelici, pauperes & mendici filij, & oues pascuæ tuæ, summè te rogamus, vt hoc Corpus nostrum, quò tibi liberius seruiamus, Cibo ac Potu, alijsque rebus ad Vitam necessarijs, fulcire ac cōseruare digneris: Et cum non in solo Pane viuat homo, sed in omni Verbo, quod procedit ab ore Dei: Largire etiam nobis panem Cœlestis Verbi tui, & salutaris Doctrinæ tuæ verum et sincerum intellectum: ne hæresibus vllis,

'IIII.

Panem
nostrum
quoti-
dianum,
&c.

aut erroribus inuoluamur. Adhæc, & Pater, da nobis etiam manducare Panem illum Angelorū, Panem viuum, qui de Cœlo descendit, Carnem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, vt hūc dignè sumentes, reficiamur in eo & confirmemur, ad hoc iter Exilij nostri expeditius conficiendum.

V.
Et dimitte nobis debita,
&c.

Indulgentissime Pater, cuius Misericordię non est numerus, cuiq; proprium est Filiorum ad te reuertētium misereri semper ac parcere: Vides eam esse Carnis nostrę fragilitatem, vt Baptismi lauacro semel à vitijs per Gratiā tuam emendati, in eadem subinde relabamur: vt si dixerimus nos Peccatum non habere, nos ipsos seducimus, & Veritas in nobis non est. Quare pro immensa tua Bonitate, te obsecramus, vt Delicta, quę in te & legem tuam commisimus, digneris nobis propitiis condonare: Sicut & nos Fratribus nostris, à quibus vel læsi sumus,

sumus, vel iniuria affecti, Delicta & offensas condonamus: Aut si hoc minus, quàm oporteat, præstiterimus, emolli, quæso, ac inflecte, durissima hæc corda nostra, vt inita inter nos omnes mutua Caritate, mutuo omnes, tamquam verè concordēs fratres ex animo diligamus.

O Pater omnipotens & clementissime, licet nos è Regno Sathanae in Regnum dilectissimi Filij tui transtuleris, nequaquam tamen ab hostium impugnatione liberi euasimus. Hinc enim Caro nos sollicitat, illinc Mundus adblanditur, A fronte pariter & à tergo hostis impugnat potentissimus Diabolus: Conantur nos omnes, vt ab te Patre nostro desciscamus impellere: At nos imbecillitatis nostræ non immemores, ad te Deus perflugium nostrum & Virtus, cōfugimus, te etiam atque etiam obnixius deprecantes, vt in tam varijs ac infestis

VI.

Et ne nos inducas in Tentationem

F 5

Tenta-

Tentationum insultibus, tu nobis ro-
bur ac animum addas, ne his succum-
bamus ac superemur: Sed vt Diaboli
insultus tuo adiuti præsidio fortiter
repellamus: Mundum, & eius Satelli-
tium, Diuitias, Honores, & Pompas
cōtemnamus: Carnem verò nostram
coërceamus, domemus, & Spiritui
subijciamus, vt ita demum, tanquam
inuiçti Milites, abs te in Regno tuo
Cœlesti, in illa æterna Beatorum Pa-
tria coronari mereamur.

VII. Sed libe-
ra nos à
malo.

Omnipotens æterne Deus, infirmi-
tatis humanæ liberator, tam multa
sunt mala in hoc æui decursu, quæ vt à
tui recordatione auertamur, nos vr-
gent ac premunt: Sunt Necessitates
quotidianæ, esuries, sitis, æstus, & al-
gor: Sunt Pestes ac varia morborum
genera, Sunt Bella, incendia, inunda-
tiones aquarum: Sunt Hæreses, schis-
mata, & animorum dissensiones.
Quamobrem benignissime & poten-
tissime

tissime Pater, nos inermes, inualidi, & imperiti, in fidem & praesidium nos tuum recipimus, suppliciter obsecrantes, ut nos à malis omnibus, tum huius vitae, tum ab aeternis futuri seculi, liberatos, eò transferre digneris, ubi est aeterna securitas, summa Pax, ubi Vita perennis & immortalis, in qua ipse cum Filio tuo dilecto, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus in secula, Amen.

Angelicæ Salutationis Paraphrasis.

O Veneranda et superbenedicta Dei Genitrix Maria, etsi nos miseri Peccatores Celsitudinem tuam considerantes, indignos nos prorsus, qui te salutemus, fateamur: Huc tamen erigimur, cum tuam attendimus Clementiam & Humilitatem: Idque eo magis, quod non hinc nostris utamur verbis, sed quibus te Cælo demissus, affatus est Gabriël Angelus, dicentes cum eo.

Hoc exordium est fere D. Cor. Iansenij.

Aue,

**Aue Ma-
ria,**

Aue, gaude & letare, ô Maria, Po-
lorum Regina, & Angelorum Domi-
na: Salve Virgo sacrata, et Mater Dei-
para: Tibi nos iure gratulamur, & gra-
tulando te prædicamus, quæ felici tuo
partu, filiorum Adæ maledictionem,
in perpetuam vertisti benedictionem.

**Gratia
plena,**

Tu, ô Maria, verè plena es Gratia,
quæ ab æternò Diuinitus electa, sic be-
nedicta & felicitata, vt ipsum totius
Gratiæ fontem, & Salutis auctorem,
tu sola concipere ac parere Mundo
merereris. Te igitur oramus, ô Virgo
beata, & Mater plena Gratia, vt nobis
tuo dono, à benedicto Filio, vel vnica
Diuinæ Gratiæ mica contingat.

**Domi-
nus te-
sum.**

Tecum, ô Maria, est Dominus in
corde, tecum in vtero, Tecum ante
partum, in partu, & post partum, quia
& Virtus Patris obumbravit tibi, &
Spiritus sanctus superuenit in te, &
Verbum caro factum ex te processit:
Intercede pro nobis apud dilectum
suum

tuum Filium, vt quemadmodum is tecum fuit modo planè ineffabili: sic idem quoq; nobiscum per Spiritum suum esse ac manere dignetur.

Es tu quidem benedicta, ô Maria, præ cunctis totius mundi mulieribus, quantumuis laudatis, vel sanctitate conspicuis: Tu enim ex tot Virginum millibus, sola idonea es iudicata, è cuius visceribus Dei Filius orbi redimendo nasceretur. Effice igitur ô Virgo Mater præ cunctis mulieribus benedicta, vt & nos æterna benedictione ac Salute, ab ipso tuo Filio hinc excessuri donemur.

Tu ô Maria es benedicta exuberantibus Gratia participatione: At ille tui Ventris sacer fructus est benedictus, vt auctor Gratia, & fons omnis benedictionis: Eia igitur, ô Virgo beata, inuentrix Gratia, Genitrix Vita, & mater Salutis, hoc apud Filium tuum nobis impetra, vt qui per te Miseria nostra

Benedicta tu in mulieribus.

Et benedictus fructus &c.

stræ particeps esse voluit, per te quoq; nos participes faciat Gloriæ & Beatitudinis suæ, Iesus Christus Filius tuus benedictus in secula, Amen.

Contra tentationes Dæmonis.

Lo. Vi-
ues in
Precibus
generalibus,

Iesu Christe Domine Deus noster, hostis irruit in nos, qui nisi tu subuenias, facile nos & astu suo faller, & viribus prosterneret, & sæuitia dilaniabit. Sed si tu vel procul appareas, qui illum fregisti, solo aspectu tuo perterritum fugabis.

Dignare nos in tutelam tuam recipere, infantes, inualidos, imbecilles, imperitos, ne nos tam truculenta & immanis fera discerpat.

Crucem vexillum tuum, Crucem trophæum tuum in hac pugna præferimus, ac ostendimus, vt hostis sciat ductu atq; auspicijs tuis rem geri: Per signum S. Crucis ✝ ab inimicis nostris libera nos Domine Deus noster.

no signum crucis sed ipsa Contra
crucis

Contra tentationes Mundi.

Heu quibus ludibrijs præstigiator
hic Mundus debiles nostros atq;
obtusos oculos ludificatur: quales
ostentat procul rerum species, vt ma-
gna appareât & expetenda, quæ sunt
re vera parua, inania, contemnenda:
vt formidanda, in quibus nihil est pe-
riculi, fugienda, quæ conueniret appe-
tere: Vocat, inuitat, allicit, adblandi-
tur. Cum hac parum proficit, terret,
impetit, vexat.

Idem eo-
dem li-
bro.

O lux fulgentissima Diuinæ Veri-
tatis, simul nebulas has discute & dif-
fipa, simul sensus nostros illumina, ne
alia deuitemus, quàm tibi contraria,
hoc est planè nobis noxia et pernicio-
sa: Neu alia sequamur, vel appeta-
mus, quàm solida, & verè magna ac
pulcra: nempe te vnum perennem at-
que æternum fontem totius Bonitatis
ac Beatitudinis.

Contra

Contra Tentationes Carnis.

M. Ma.
rulus ca.
23. lib. 3.
Euange-
listarj.

Domine ad te confugi, erue me ab homine isto exteriori, qui interioriorem ad similitudinem tuam factū, per voluptatis illecebras fraudulenter quaerit subuerrere, per cōcupiscentiæ blandimenta trahere mentitur, vt peccem tibi & peream.

Ab his igitur Aduersarij insidijs libera me: esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. Ventum Domine validum metuo, & iam mergi incipiens ad te clamo.

Tu igitur miseratus dexterā tuam extende, & sicut Petrus, cum fluctibus mergeretur, saluasti: ita me de pernicie Carnalis suggestionis ereptum tibi restitue, vt tuis parendo Mandatis ad te in Coelum ascendere, & non eis contraria operando, in profundum demergi merear.

Vt

Vt Deus in messem suam bonos mittat Operarios.

DEUS, qui nobis in Euangelio Dominum Messis, vt fidos mittat Operarios, orare præcepisti: *quandoquidem Messis quidem multa: Operarij autem pauci.*

Matth.
Sittardus in
Precatio.
Christia.

Oramus te supplices, vt tales immittas in Ecclesiam tuam Verbi præcones, qui Spiritu Sapientiae illustrati, non suam præsumptionem: sed tuum honorem: non propriam vtilitatem, sed animarum salutem sedulo inquirant, quiq; Verbum tuum in recto veroq; & Apostolico sensu dispensent.

In nobis verò cordis nostri aures aperi, vt Verbum tuum in bonam terram incidat, vnde nec Volucres Cœli auferant, nec spinæ curarum huius seculi suffocent: Sed vt multum fructum afferat ad sempiternam Nominis tui laudem, & Proximorum nostrorum commodum, Amen.

G

Pro

Pro Romano Pontifice.

Fred.
Nausea
lib. Prec.
Christia.

Domine Iesu Christe, qui es æterna Dei Patris cœlestis Sapiencia, qui per te omnia creauit, vt cum ipso in vnitate Spiritus sancti sis Deus & caput nostrū vnicum: Qui etiā Petrum inter Apostolos, in vnicum Pastorem ouium tuarum, & post ipsum vnumquemq; electum Pontificem in tuum Vicarium habere voluisti: ad quem velut ad summū totius Christiani Nominis Magistratum, quilibet se pro negocij ac causæ qualitate recipiat.

Oro te suppliciter, vt illum ad Populi tui gubernationē, Ecclesiæq; tuæ vtilitatem, saluum & incolumem bonitate tua & Gratia conserues, vt sub eodem in recta, sincera, ac vera Fide & religione gubernemur, & in Fidei meritis crescamus indies & adolescamus, Amen.

Pro Romano Imperatore.

Pontifi-
cal. Ro.
part. 1.

Deus omnipotens, cuius est omnis potestas & dignitas, te supplici

ora-

oratione atq; humilima prece depo-
scimus, vt huic famulo tuo N. prospe-
rum Imperatoriæ Maiestatis conce-
das effectū, vt in tua protectione con-
stituto, ad regendam Ecclesiam tuam
sanctam nihil ei præsentia officiant,
futura nihil obsistant.

Sed inspirate sancti Spiritus dono,
populum sibi subditum æquo iustitiæ
libramine regere valeat, & in omni-
bus suis te semper timeat, tibi que iu-
giter placere contendat. Per Chri-
stum, &c.

Pro Ecclesia Catholica.

Plentissime Deus, qui Iniquitatum
ad te conuersorum non recordaris: In horis
sed eorum gemitus clementer exau- de Dom.
dis: Respice Tempia tua Infidelium Iussu Pij
manibus profanata, & tui dilecti Gre- V. Ponti-
gis afflictionem. ficis di-
cenda,

Reminiscere hæreditatis tuæ effu-
sione preciosissimi Sanguinis tui Vni-
geniti acquisitæ, vineam que dextera
tua plantatam, quam ferus aper exter-
minare

minare conatur, feruenter visita: ac illius cultores, aduersus deuastantium rabiem, tua Virtute corrobora, victores effice, in eaque bene operantes tui fac Regni possessores. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

De Vita & Passione Domini.

Lod. Blo
sius in
Institut.
Spiri-
tuali,

ADoro, Laudo, & glorifico te, benedico & gratias ago tibi Domine Iesu, pro vniuersis Miserationibus & beneficijs tuis. Gratias tibi ago ô Fili Dei viui, Deus altissime, qui propter nimiam Caritatem, qua me dilexisti, dignatus es homo fieri.

Voluisti pro me in stabulo nasci, infans panniculis inuolui, fasciulis stringi, in præsepio reclinari, modico lacte Virginis Matris alii, Paupertatem & egestatem tolerare, multiplicibus laboribus & ærumnis triginta tribus annis fatigari.

Voluisti sudore sanguineo præ angustijs suffundi, ignominiosè comprehendi, indignè ligari, iniuste dam-
nari,



nari, sputis foedari, colaphis & alapis
cedi, veste alba ridiculaq; velut amens
indui & illudi.

Voluisti flagris crudelissimè con-
scindi, spinis dirè coronari, clavis
atrociter Cruci affigi, felle & aceto
inhumaniter potari.

Tu præclarus vestitor siderum, nu-
dus, contemptus, vulneratus, & im-
mensis doloribus afflictus, pro me
pependisti in Cruce, pro me fudisti
purissimum Sanguinem tuum, pro
me mortuus es.

Gratiarum actio.

A Doro, laudo, & glorifico te, Do-
mine Iesu Christe, benedico &
gratias ago tibi pro effusione precio-
sissimi Sanguinis, qui è vulneribus
profluxit.

Idem in
Exerci-
tio pia-
rum Pre-
cationū.

Pro cruciatibus illis, quos pertuli-
sti, quando transfixis manibus ac pe-
dibus, in stipite Crucis pendebas me-
dius inter latrones. Pro pietate & Mi-

fericordia, qua venerandum caput inclinans pro me mori dignatus es.

Tu Domine pro ipsis, beatis vulneribus tuis me include: & præsta ut ex eis verum tui Amorem, æternamque Salutem hauriam. Scribe illa in corde meo, ut in me, & dolor compassionis excitetur, & ardor dilectionis accendatur. Sit mihi omnitempore, ac præcipuè in hora Mortis meæ, certum in illis refugium, atque protectio segura. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.

Peccatorum coram Deo Confessio.

Jacobus
Scappereus in
Precat.
Liturg.
ex Ca. 2.
Par. 37.

Domine Deus altissime super omnem terram, longanimis & multum misericors, & pœnitens supra malitiã hominum, Peccaui super numerum arenæ maris, multiplicatę sunt Iniquitates meę, excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci, statuens abominaciones, & multiplicans offensiones. Peccaui Domine, peccaui, et Iniquitatem meam agnosco.

Tu

Tu autem Domine secundum Bonitatem tuam promisisti Pœnitentiam remissionis Peccatorum: Flecto igitur genua cordis mei, precans à te Bonitatem Domine. Peto rogans te Domine, remitte mihi, remitte mihi, ne simul perdas me cum Iniquitatibus meis, neque in æternum reserues mihi mala.

Sed indignum me salua secundum magnam Misericordiam tuam, et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus Cœlorum, & tibi est Gloria in secula seculorum, Amen.

Ad Sanctum præsentis diei.

DEUS qui animæ famuli tui sancti Simon N. æternæ Beatitudinis præmia cōtulisti, concede propitius, vt cuius hodie memoriam religiose colimus, eius quoq; viuendi exemplum imitemur: & precibus eiusdem ac Meritis, æternitatis gloriam consequamur. Per Christum Dominum, &c.

Verre-
pæus.

G 4

Sancta

Precat. Sancta Maria & omnes Sancti in-
Eccl., Ro. tercedant pro nobis ad Dominum, ut
 nos mereamur ab eo adiuuari & sal-
 uari, Qui uiuit & regnat in sæcula sæ-
 culorum, Amen.

*Ad duos uel plures presentis
 diei Sanctos.*

Breuiat. **O** Rate pro nobis Sancti N. & N. ut
Rom. ad digni efficiamur promissionibus
S. Cæcil. Christi.

Oremus.

Deus qui annua beatorum N. & N.
 solemnitate lætificas, da quæsumus, ut
 quos veneramur officio, etiam pię cõ-
 uersationis sequamur exemplo.

Idem, Omnes sancti tui quæsumus, Do-
 mine, nos ubique adiuuent, ut dum
 eorum Merita recolimus, patrocinia
 sentiamus. Per Christum Dominum
 nostrum, &c.

Pro fidelibus Defunctis.

Ambros. **R**ogamus te sancte Pater pro spiri-
Prec. 1. tibus fidelium Defunctorum, ut sit
 præpar. illis æterna salus, ac perpetua sanitas,
 ad Miss, gau-

gaudium & refrigerium sempiternū,
vt consolati exultent in laude & Glo-
ria tua sancta.

Requiem æternam Dona eis Do-
mine.

Et lux perpetua luceat eis.

Precatio qua te Deo commendes.

EXaudi me Trinitas sancta, & con- B. Aug.
serua me ab omni malo: ab omni Cap. 40.
scandalo: ab omni mortali Peccato: Medit.
ab omnibus insidijs et Infestationi-
bus Dæmonum, & inimicorum visi-
bilium & inuisibilium.

Per { Orationes patriarcharum,
Merita Prophetarum,
Suffragia Apostolorum,
Constantiam Martyrum,
Fidem Confessorum,
Castitatem Virginum,

Et per Intercessionem omnium
Sanctorum tuorum, qui tibi placue-
runt ab initio mundi.

G 5

Descri-

Descriptio quædam umbratica Cœlestis Hierusalem.

Lod. Blo
sius Cap.
35. Ca-
monis vi-
tæ spiri-
tualis.

O *Vita æterna*, O patria amabilis, O Cœlestis Hierusalem, de te quid scribitur? quid dicitur? quid creditur? In te est Bonum illud, gaudium illud, solatium illud, quod oculus nō vidit, quod auris non audiuit, quod cor humanum comprehendere non potest, ob quod tot Martyrū legiones Mortem animo paratissimo susceperunt.

Portæ tuæ electissimis nitent margaritis, plateæ tuæ mundissimo sternuntur auro, Muri tui preciosissimis cōstant lapidibus. In te inæstimabiles hortuli, & amœna semper tempe vident. In te perennes flosculi ac violæ iugiter vernant. In te cinamomum & balsamum ineffabile suavitatis odorem indefinenter spirant.

Omniū rerum species in te sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate sempiternæ sunt. In te est

tem-

temperies & serenitas omnē captum humanum excedens. In te est pax & requies omnem sensum exuperans. In te est dies æternus et vnus omnium spiritus. In te est certa securitas, & securitas æternitas.

In te fulgent Iusti sicut Sol. Nihil quærere, nihil desiderare, nihil amare, quis poterit, quod in te non inueniet, Id solum quod non est, in te non est.

O quantum incontaminatæ letitiæ pelagus, quantus sincerissimæ Voluptatis torrens, quanta purissimæ delectationis abyssus est videre Deū Deorum in Syon! Cernere incomprehensibilem illam summæ Trinitatis Gloriam, Inæstimabilem illam Pulcritudinem clarissimè contemplari! ineffabilemquæ; illam Dulcedinem perfectè gustare, vnde omnis pulcritudo & dulcedo rerum creatarū promānat?

Beatissimam Dei genitricem intueri, Angelorum choris interesse, cum sanctis Patriarchis & Prophetis, cum
sanctis

sanctis Apostolis & Martyribus, cum sanctis Confessoribus Virginibusque perpetuum habere consortium. Omnes Cœli ciues agnoscere, singulis Felicitatem aeternam gratulari.

Dilige hanc Beatitudinem, & ad eam frequenter suspira. Ipsam quidem oculis istis carneis modo videre non potes: sed oculis Fidei vtcunque percipere potes. Crede quod non vides, vt aliquando merearis assequi quod credideris.

Precatiuncula legenda absolutis cuiusq; diei precibus.

Simon
Verre-
pæus.

CLementissime Domine Iesu, ego precum mearum pensum, distractumq; ac tepidum seruitium meum committo diuino cordi tuo corrigendum, ipsumq; tibi offero, ad Nominis tui gloriam, & totius Ecclesiæ tuæ salutem, Amen.

**Christianæ Pietatis inci-
tamenta.**

Vigilate,

Vigilate, & orate, ne intretis in Tentationem. Matth. 26.

Si vis ad Vitam ingredi, serua Mandata. Matth. 19.

Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis. 2. Corinth. 6.

Querite Dominum dum inueniri potest, Inuocate eum dum prope est. Esa. 55.

Non tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem: Subito enim ueniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccl. 5.

Vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. Eccl. 17.

Quàm difficile est confidentes in pecunijs in Regnum Dei introire. Marc. 10.

Quid prodest homini, si uniuersum Mū- dum lucretur: Animæ verò suæ detrimen- tum patiatur? Matth. 16.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. Corinth. 10.

In multiloquio non deerit peccatū. Pro- uerb. 10.

Satis morituro.

PRECATIONES

FERIÆ III.



Precatiuncula qua mentem oraturus præpares.

Simon
Verre-
paus.

CLementissime Domine Iesu, tu me rege, ac posside, vt Preces meas debite ac deuote persoluam, ad nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem, Amen.

Supplex oratio Pœnitentis.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christia.

Aspice animam meam, ô Pater Misericordiæ, quam secundum Imaginem tuam effictam creasti, & Sanguine Filij tui dilecti mundasti, & abluisti:

Iuisti: Hanc autem ego Peccatis meis
sic pollui ac defœdaui, vt vix possim
agnosci.

O Pater optime, filius tuus fui,
quem tanta gratia comprehenderas,
& beneficijs cumularas: Fui in domo
tua cum honore & dignitate. In Sa-
cramento Baptismi clementer me ad-
optaueras, Filij & hæredis locum mi-
hi dederas: Sed ego ingratiè & impiè
me gessi. Hæreditatem tua Clemen-
tia mihi oblatam nequiter admini-
stravi, turpiter viuendo dissipavi.

Flore Iuuentutis, pulcritudine cor-
poris, & animæ bonis omnibus, vo-
luntate mea, facultatibus præterea, ad
voluptatem Carnis, ad gaudia huius
mundi in superbia, crapula, inuidia,
libidine, auaritia, In acedia, rebellio-
ne, atq; inobedientia, In libertate car-
nis turpiter abusus sum.

Nunc cum nihil mihi supersit, cum
omnia amiserim, cū merito meo Di-
uina

uina Gratia & Amore sim priuatus, sedeo iuxta aqualiculum, vnde fues sorbent, iuxta lintrem carnalium Voluptatum, & tuæ Gratiæ & dignitatis meæ qua me affecerat, oblitus sum.

Cupiditatem meâ furfuribus, porcorum pastu explere cupio, hoc est, quæro carnales & mundanas delicias, quibus me satiare gestio: Sed non nutrit ille cibus, non satiant hæ glandes. Omnes enim temporales huius Carnis & Mundi voluptates vanissimæ sunt, & veluti ventus euanescent.

Omnis caro fœnum est, & omnis gloria hominis, veluti flos graminis. Hodie q̄ superbit diuitijs, cras subita paupertate mœret. Hodie incolumis incedit, cras infirmus decumbit. Hodie viuit & spirat, cras moritur, iacet-que exangue cadauer, & lamentabile funus producitur.

Te igitur oro, ô misericors Pater, auerte faciem tuam à Peccatis meis, néue eorum in ira & furore tuo memineris.

mineris. Respice me placatus, & miserere mei, sum enim longè infelicissimus & miserrimus: mea culpa, mea vita impia, tua me gratia indignum feci. Malis Concupiscentijs vulneratus sum, & letaliter quidem, nihil sani est in carne mea. Sæpe Spiritum tuum sanctū offendi, quòd magis Libidini meæ obsecutus sum, quàm inspirationi Diuinæ morem gessi.

Sed, ô clemens Pater, te oro ne proijcias me à facie tua. Tu à mūdi exordio neminem Peccatorē auersatus es, aut contemptum reiecisti, qui ex corde tuam Gratiā & auxilium expetijt.

Sic igitur, & ego filius perditus ad te, ô Pater benignissime, in summa necessitate venio, ad pedes tuæ Maiestatis me prouoluo, & sine vlla reticentia Peccatorum meorū magnitudinem, pondus, varietatem, & multitudinem confiteor: Hæc fecerunt vt non sim dignus, qui filius tuus dicar.

Sed oro te, ô Pater benigne et mise-

H
ricors,

ricors, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis in domo tua. Da mihi vt pœnitentiam agam in tempore Gratiæ. Pasce & foue me pane Verbi tui, & cibo salutari me recrea, vt secundum Sermones tuos perseueranter viam, & vt per Misericordiam tuam atque pietatem patriam in Gratiam recipi merear, & restituar in dignitatem filiorum Dei, & æternæ hæreditatis portionē in aula tua Cœlesti nasciscar, Amen.

Ad SS. Trinitatem.

S. Augu.
Cap. 33.
Medit.

TRibue Domine, vt donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia ossa mea dicant, *Domine quis similis tui?* Tu es Deus omnipotens, quē trinum in personis, & vnum in substantia Deitatis colimus et adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum sanctum de vtroque procedentem, & in vtroque permanentem, sanctā & indiuiduam
Trini-

Trinitatem vnum Deum omnipo-
tentem.

Qui cum non essemus potenter fe-
cisti nos, et cum perditum fuisset culpa nostra, Pietate & Bonitate tua mi-
rabiliter recuperasti nos, ne finas nos
esse ingratos, obsecro, tantis benefi-
cijs, & indignos tam multis Misera-
tionibus.

Te deprecor, supplico, & rogo, au-
ge in me Fidem, auge Spem, auge Ca-
ritatem: fac nos per ipsam Gratiam
tuam semper in Fide stabiles, & in O-
pere efficaces, vt per Fidem rectam,
& condigna Fidei opera, ad Vitam te
miserante perueniamus æternam: vt
ibi videntes Gloriam tuam, sicuti est,
adoremus Maiestatem tuam, & dica-
mus pariter, quos dignos feceris vide-
re Gloriam tuam.

Gloria Patri qui creauit nos: Glo-
ria Filio qui redemit nos: Gloria Spiri-
tui sancto, qui sanctificauit nos. Glo-
ria summæ & indiuiduæ Trinitati,

H 2

cuius

cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperium sine fine manet.

Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus, & fortitudo in secula seculorum, Amen.

Pro vera ac Catholica Fide.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christia.

Summe Pater, omnipotens æterne & clemens Deus, te oro, vt veram, rectam, & Christianam Fidem mihi largiaris, quæ sincera & incorrupta sit, nullis errorum tricis inuoluta, nec labe peruersitatis maculata.

Fac etiam vt Opera mea Fidei conueniant & respõdeant, ne Fides bona malis operibus polluatür & defcēdetur, ne te Vita mea impura abnegare videar, quem Fide vera confiteor.

Tribue õ mitis Pater, vt tibi bono proposito & prompta Voluntate seruiam, vt Opera Iustitię perficiam. Misericordiam et Veritatē dignam, mendacia fugiam. Nihil quod falsum ac
vanum

vanum sit cogitem vel eloquar, Vt te
vnum timeam, amem, colam, & tua
Præcepta obseruem.

Hanc etiam præsta mihi Gratiã,
vt ea tantùm sequar, & confitear, quæ
tua sancta Ecclesia, Spiritu veritatis
munita, docet & confitetur, donec ad
te in Regnum tuum perueniam. Per
Christum Dominum nostrum, Amen.

Pro firma & efficaci Spe.

DEus incomprehensibilis Bonitatis
& Potentiæ, qui verbis & Operi-
bus supra omnem humanum captum
efficacibus, nobis quamuis indignis
Peccatoribus, vt in te, & à te vera &
æterna bona speremus præcipis.

Petr. de
Soto in
Cõpend.
Doctri-
næ Ca-
thol.

Da mihi seruo tuo firmam in te
spem, non otiosam, sed me ad bene
operandum excitantem, ac alacrem
reddentem in bonis Operibus, vt tuam
Misericordiam (quemadmodum in
te speravi) cõsequi valeam, & in æter-
num non confundar, Amen.

H 3

Pro

Pro ardenti Caritate.

Ioã. Lan-
spargius
in Di.
Amo.
Phare-
tra.

A Mantissime Iesu Christe, qui dilexisti nos, et lauisti in sanguine tuo, Qui dedisti in Mortem Animã tuam pro nobis, & cum sceleratis reputatus es, vulneratus es propter Iniquitates nostras, & attritus propter Scelera nostra, & liuore tuo sanati sumus.

Per hanc Caritatem et ineffabilem Misericordiam tuã, obsecro te, infunde cordi meo Gratia tuæ inextinguibilis lumen, quo simul ardeat in me iuge incẽdium Caritatis, ferueat, operetur, & crescat in me semper castissimus & indeficiens affectus Miserationis, beneuolentiæ ac pietatis, qui ad omnes Creaturas tuas: tui Amore & contemplatione se effundat.

Reple, quæso, Animam, sensus, & affectus meos, feruentissima, atq; perpetua Caritate, vt te ex toto corde meo diligã in omnibus, & super omnia. In te vero, & propter te, omnem Proximum secundum tuum beneplacitum.

placitum. Da mihi vt omnium hominum Salutem, profectum, & commodum ex toto corde diligam, quæram, & promoueam ad Gloriam tuam.

Da mihi vt diligam omnes Inimicos meos perfectissime: nō verbo aut lingua tantum: sed Opere & veritate. Aufer à me omnem amaritudinem, liuorem, iram malam, rancorem, indignationem, suspiciones, inuidiam, & quidquid sincerissimæ Caritati aduersatur, vt de omnibus in simplicitate cordis bene sentiam, Neminem temere iudicem, vniuersos pijsimo affectu cordis in te diligam, & dulcedinis, benignitatis, atq; dilectionis verba & beneficia impendam.

Precatio aurea S. Thomæ:

Concede mihi quæso Omnipotens & Misericors Deus, quæ tibi placita sunt, diligenter & ardentè concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere.

Ad laudem & Gloriã Nominis tui

H 4

ordina

S. Tho.
Aquinas
legitur
hanc o-
rasse
quoti-
die.

ordina statum meum. Et quod à me
requiris vt faciam, tribue vt sciam,
possim et velim: et da exequi vt oportet,
& expedit saluti Animæ meæ.

Via mihi ad te quæso sit tuta, recta,
& consummata, non deficiens inter
prospera, & aduersa, vt in illis non ex-
tollar, & in istis non deprimar. Vt in
prosperis gratias tibi referam: & in
aduersis seruem Patientiam.

De nullo gaudeam vel doleam, nisi
quod promoueat ad te, vel quod ad-
ducat à te: nulli placere appetam, vel
displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in Caritate da facere, &
quod ad cultum tuum non pertinet,
quasi mortuum reputare. Actiones
meas da peragere non ex consuetudi-
ne: sed ad te referre cum deuotione.

Vilescant mihi omnia transitoria
ppter te, & cara sint mihi omnia tua,
& tu Deus meus plus quàm omnia.
Tædeat me gaudij, quod est sine te, nec
cupiam aliquid quod est extra te.

Dele.

Delectet me omnis labor qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi dulcissime Domine cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis proposito, dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine grauitate, agilem sine leuitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione.

Castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, diligere sine simulatione, ipsumq; ædificare Verbo & exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi dulcissime Iesu, cor peruigil, quod nulla à te abducat curiosa cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum

H 5

trahat

trahat indigna affectio : Da inuictum, quod nulla fatiger tribulatio : Da liberum, quod nulla sibi vendicet violenta delectatio : Et da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi dulcissime **DEVS** meus, Intellectum te cognoscentem, Diligentiam te quarentem, Sapientiam te inuenientem, Conuersationem tibi placentem, Perseuerantiam te dulciter & fiducialiter expectantē, Fiduciam te feliciter amplectentem, tuis pœnis configi per Pœnitentiam, tuis beneficijs in via uti per Gratiam, & gaudijs tuis in Patria frui per Gloriam, Amen.

Vt à Dæmone & Peccato præseruemur.

Venera,
Beda
Presb.

BENIGNISSIME Domine Iesu Christe, qui tanto impendio Peccatorum nostrorum mala nomina cumulatifsimè dissoluisti : Precamur per sanctissimam Passionem & Mortem tuam, contra omnes Diaboli & Peccatorum

rum

rum insidias nos tuearis, qui mortuus es & resurrexisti, et viuis cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, &c.

Pro Patientia & Mansuetudine.

OMnipotēs & mitissime Deus, qui mortali carne assumpta, vt innocens et mansuetus agnus ad occisionē ductus es, & illusus, percussus, crucifixus, malum pro malo non reddidisti, sed pro transgressoribus exorasti.

Ioannes
Leylen-
tricius.

Planta in cordibus nostris Patientiae & Mansuetudinis virtutem, vt Iræ furorem vincentes, mansueto corde mala in bono vincamus, inimicosq; nostros, & persequentes nos, nec ira, nec odio prosequamur: sed bonū pro malo reddendo, illi ad portum salutis adducantur, nosq; sub tua mansuetudine in hac vita piē viuentes, ad veræ pacis patriam trāscendere valeamus, Amen.

Pro loci alicuius Episcopo.

DEVS qui per Moysen famulum Pontificum ad gubernandas Ecclesias tuum ad gubernandas Ecclesias Pontificale Romano-Præpo-manum

Præpositos instituisti, tibi supplices
 Preces effundimus, vt hunc famulum
 tuum N. protectionis tuæ Gratia mu-
 nire digneris: sicq; subditos sibi regere
 concedas, vt cum illis Cœlorum re-
 gna adipisci mereatur: Quod ipse præ-
 stare digneris, qui cum Patre & Spiri-
 tu sancto viuis et regnas Deus, Per.

*Pro Rege Catholico, Vel Domino
 regionis.*

Ibidem. **O**Mnipotens sempiterne DEVS,
 Creator omnium, Imperator An-
 gelorum, Rex Regum & Dominus
 Dominantium. Qui Abraham fide-
 lem seruum tuum de hostibus trium-
 phare fecisti, Moyli & Iosue populo
 tuo prælatis Victoriâ multiplicem
 tribuisti, humilemq; David puerum
 tuum Regni fastigio sublimasti, et Sa-
 lomone[m] Sapientia pacisq; ineffabi-
 li munere ditasti.

Respice quæsumus Domine ad
 Preces humilitatis nostræ, & super
 hunc

hunc famulum tuum N. benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera Potentiæ tuæ semper, hinc & ubiq; circunda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate, Moyfi mansuetudine fretus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitē iustitiæ inoffenso gressu semper incedat.

Tuæ quoq; protectionis galea munitus & scuto insuperbali iugiter protectus, armisq; cœlestibus circundatus, optabilem de hostibus Crucis Christi victoriam fideliter obtineat, & triumphum feliciter capiat, terroremque suæ Potentiæ illis inferat, & pacem tibi militatibus lætanter reportet. Per Christum Dominum &c.

Pro Ecclesia Catholica.

DEus, gentes, & nationes incredulæ, in quibus non est Fides, neque scientia Nominis tui, venerunt in hæreditatem tuam, Armorum virtute obti-

Franc
Titel-
mannus
in Psal.
73. & 78.

obtinerunt Populum tuum, & ciuitates nostras vt victores occupaerunt.

Templum tuo cultui dedicatum coinquinauerunt abominationibus. Vasa omnia in ministerium templi consecrata polluerunt, deputantes ea prophanis vsibus.

Facti sumus in opprobrium & irrisionem vicinis nostris, ita vt nos subsannent, irrideant, contemnant, atque ludibrio habeant, gaudentes in afflictionibus nostris, & cum gaudio nobis exprobrantes.

Tu vero Domine, à cuius voluntate toti pendemus, quousq; tandè iram hanc tuam sines perdurare aduersum nos? Et quare nos Populum tuum ita penitus tradis in manus hostium tuorum, perinde ac si nos à te repuleris, & nulla prorsus tibi amodo cura sit de nobis?

Et quare furorem iracundiæ ita ostendis aduersus Populum tuum, qui
sunt

sunt oues sanctæ pascuæ tuæ, quorum Rector & pastores, defensorq; & propugnator?

Memor esto Ecclesiæ tuæ sanctæ, ut eam in hostium manibus nō derelinquas, sed tua potentia liberares. Respice et attende ad Testamentū tuum, quod fecisti cum Electis. Memor esto promissionis eis factæ, quod non esses derelicturus qui tribulato sunt corde, humiles autem spiritu saluares.

Verè enim iam humiliati sumus, afflicti & attenuati valde, nimiumque contempti, abiecti, & miseri facti sumus: ita ut in exemplum simus, & in opprobrium cunctis nationibus.

Quare tu Domine vultum tuum non cōuertis ad pauperes seruos tuos? Et quare, tanquā auerso vultu ab eis, permittis hostes nimium crudeliter in eos desæuire?

Quare negligis & non attendis ad inopiam & afflictionem nostram, in qua nos sumus serui tui, omni ope destituti,

stituti, neq; aliud præter te habentes
auxilium, & grauissimè ab hostibus
afflicti?

Euigila Domine Deus, ne ultra dis-
simules: sed in adiutorium Populi tui
intende, & ad adiuuandum fideles ser-
uos tuos festina, & saluos nos facias
de manibus aduersariorum tuorum,
propter inclitum & gloriosum No-
men tuum, propter temetipsum, &
immensam Misericordiam tuam, vt
quam in omnibus generationibus ita
copiose experti sunt Patres nostri,
nos etiam posteri iuxta Promissa tua,
aliqua ex parte sentiamus.

Nos aut, qui sumus Populus tuus,
& oues pascuæ tuæ, qui alium præter
te Deum non colimus, qui alium præ-
ter te Pastorem & Rectorem ignora-
mus, qui nostram omnem spem et so-
licitudinẽ in te p̄ijcimus, et à te pasci
semper, regi & gubernari optamus,
dabimus tibi confessionem laudis &
gratiarum actionis in sempiternum.

Annun-

Annuntiabimus & prædicabimus laudes tuas in omnes generationes, & in omnia secula in perpetuum, cū tu nobis liberationis postulatae pro tua bona voluntate præstiteris beneficiū.

In aduersis quoq; & prosperis, quidquid tandem tibi de nobis placitum fuerit disponere, semper læti seruiemus tibi, & in gratiarum actione perseuerabimus semper in patientia Salutare tuum præstolantes.

De Passione Domini.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui pro Redemptione nostra nasci & circumcidi voluisti, & à Iudæis reprobari, à Iuda osculo tradi, capi & ligari, et cum vinculis, Annæ, Caiphæ, Herodi, Pilato offerri, coram eis illudi, colaphis, alapis, flagellis, arundine cædi, facie velari, & sputis cōspui, spinis coronari: falsis quoq; testibus accusari, iudicari, & vt agnus innocens tuam Crucem ferendo, ad victimam duci, clavis perforari, felle & aceto potari,

Innocē-
tius ter-
tius in fi-
ne suors
operum.

I atq;

atq; in Cruce Morte turpissima con-
demnari, ac lancea vulnerari.

Tu per has sacratissimas pœnas
tuas, ab omnibus Peccatis & pœnis
nos libera. Et per sanctam Crucem
tuam illuc perduc nos miseros Pecca-
tores, quò perduxisti tecum crucifixum
Latronem serò pœnitentem, Qui vi-
uis et regnas cum Deo &c.

Gratiarum actio.

Ioã. Lan-
spergius
in Diui.
amo.
phare-
tra.

OMnipotens sempiterne Deus, tu
es Vita mea, omne bonum meum,
et vniuersa mea felicitas: ego autem
terre puluis, et miser vermiculus ter-
re, ante faciem tuam sto, te laudare, ti-
biq; gratias agere gestiens.

Quia tu me ex immensa Caritate
& gratuita Bonitate creasti ad Imagi-
nem & similitudinem tui. Tu varias
propter me Creaturas in usum meum
& ministerium creasti: Tu me ab ex-
ordio Vitæ meæ, vsque ad hanc ho-
ram in Corpore et Anima pauidisti et
fouisti. Tu me ab innumeris pericu-
lis

lis Animæ & Corporis aut præserua-
sti, aut eripuisti.

Tu in Peccatis grauissimis me tibi
contumeliosum, & mundo scandalo-
sum tot annis longanimiter tolerasti:
nec quod millies atque millies com-
meruerã in Sceleribus meis me dam-
nasti: sed ad Salutis viam, licet surdũ,
varijs instinctibus atq; modis admo-
nuisti, & reducere fugientem ac reni-
tentem voluisti: donec tandem Mali-
tiam meam benignitate tua superans,
ad salutiferũ viuendi statum me con-
uertisti.

Cæterum vt tecum in perpetua
gaudeam Felicitate: filium tuum præ-
misisti in mundũ, quem etiam in do-
lores, pœnas, ignominias, ad Crucem
& Mortem propter me exposuisti.
Eia benignissime Iesu Dei vnigenite,
ad te nunc me conuerto agne man-
suetissime & mitissime Iesu.

Quid retribuam tibi pro omnibus,
quæ retribuisti mihi? Adoro, laudo,

I 2. bene-

benedicoq; te pro Incarnatione, Passione, & amarissima Morte tua, Pro laboribus & fatigationibus tuis, pro incommodis atque ærumnis. Et pro quibuslibet aduersitatibus, pœnis, & doloribus.

Pro Vulneribus, lacrymis & gemitibus, Pro cõtumelijs, opprobrijs, atq; Sanguineis guttis pro me effusis. Et potissimũ pro maxima tua Caritate, quod te ipsum in cibum nobis sumẽdum dedisti, & vsq; in finem seculi te nobiscum mansurum promisisti.

Pro quibus omnibus benignissime Iesu, offero tibi temetipsum, id est, Merita, Virtutes, Gratitude, Passionem, & Mortẽ tuam, simulq; omnium sanctorum tuorũ. Offero etiam & resigno tibi me ipsum in omne tuũ beneplacitum, quo mecum ita facias, vt omni ablata rebellione in me erga te, sola tua sanctissima atq; laudatissima Voluntas semper in me, de me, per me, & in omnibus fiat.

Peccato-

Peccatorum coram Deo Confessio.

OMnipotens aeternae Deus, cui soli *Ibidem.*
 omnis debetur honor, gloria &
 gratiarum actio. En ego infelix, indi-
 gnus, & perfidus ille Peccator, haec-
 nus tibi rebellis & ingratus, venio ad
 te Creatorem meum, Deum meum,
 misericordem Iudicem et Salvatorem
 meum, accusans meipsum, & tibi cō-
 fitens omnes abominationes, scelera
 & Peccata mea, quibus Nomen san-
 ctum tuū blasphemavi, Praecepta tua
 transgressus sum, Voluntatem tuam
 contempsi, Dona & Opera tua in me
 destruxi, Animam & corpus meum
 pollui, Vires quibus tibi servire debue-
 ram peccādo eneruavi, & ad servien-
 dum tibi me inde inutilem & infirmū
 feci, Gratias ac munera tua in contu-
 meliam tuam verti.

Ad Caritatem deniq; & Misericor-
 diā, & beneficia tua, quibus vias meas
 conclusisti, hucusq; frigidus atq; lapi-
 deus perseueraui. Quid, o mansuetif-

sime, quod Instinctus tuos tam saepe contempsi? longanimitatem tuam spreui? Et non solum hanc meam, sed alias quoq; innumeras animas, quas tu Sanguine tuo precioso mercatus es, pro quibus etiam redimēdis tu incarnari, pati, Crucifigi, ac mori dignatus es, ego tibi iterum abstraxi, seduxi, foedavi, & hosti tuo Diabolo animicidæ in mortem tradidi.

O misericordissime atq; mitissime Domine Deus meus, in huiusmodi prauitate heu nimis diu obstinatus mansi, abutens Benignitate, & omnibus donis tuis, negligens bene agendī occasiones, omnibus modis tibi, & bonis hominibus rebellis. Heu pijsissime Iesu, quod modo etiam cum in honorem & beneplacitum tuum, me totum tibi offerre deberē, maneo totus ingratus, veteribus Peccatis meis noua cumulans. In seruitio tuo tepidus, negligens, & indeuotus, & à te auersus ad creaturas.

Indi.

Indignum est igitur ut oculos meos ad Coelum leuem, qui etiam omnibus creaturis atque a deo vita ipsa, & aura qua foueor, prorsus indignus sum.

Veruntamen quò fugiã à facie tua Domine Deus meus? Vbi abscondam me ab ira tua? Quis reconciliabit me tibi? Nunquid non Pater meus es tu, cuius Miserationes nunquam cõtineri se possunt? cuius pietas non potest concludi? Ego vero licet filij nomine indignũ me feci, agnosco tamen non alium Patrem præter te Domine.

Quapropter ad pedes Misericordiarum tuarum curro, ibi prostratus per omnipotentiã, sapientiam, bonitatem et infinitam Misericordiam tuam, qui es Miserationum abyssus, obsecro te, ignosce, purifica et libera me à Peccatis meis omnibus, per merita Vitæ, & Passionis tuæ. Recipe me in gratiam tuã qua me teneas, confirmes, dirigas, atq; possideas ad gloriã tuam, & secundum æternum beneplacitum tuum.

I 4 Vt

Vt autem exaudiri merear celerius,
 dulcis Iesu, fili Dei viui, qui te Aduo-
 catum et Mediatorem inter nos mise-
 ros et Patrem tuum constituisti, obsecro
 te per Caritatem illam, quæ te de Cœ-
 lis traxit in vterum Virginis, per Pas-
 sionem ad ignominiam Crucis, perq;
 singulas guttas tui Sanguinis pro me
 effusi, vt sanctissimæ Vitæ ac Passionis
 tuæ Meritis atq; virtutibus me dones,
 & Gratia tuæ intra me iuge habitacu-
 lum facias, quò tibi coniunctus sua-
 uissime Iesu, Mundo totus moriar. Ti-
 bi vero soli deinceps viuam, & castis-
 simo, feruentissimoq; amore insepa-
 rabiliter inhæream, Amen.

Ad Sanctum præsentis diei.

Simon
 Verre-
 paus.

DEUS qui animæ famuli tui sancti
 N. æternæ Beatitudinis præmia cõ-
 tulisti, concede propitius, vt cuius ho-
 die memoriam religiose colimus, eius
 quoq; viuendi exemplum imitemur:
 & precibus eiusdē ac Meritis, æterni-
 tatis

tatis gloriam cōsequamur. Per Chri-
stum Dominum &c.

Sancta Maria & omnes Sancti in- Precatio
tercedant pro nobis ad Dominum, vt Eccl. Ro.
nos mereamur ab eo adiuuari & sal-
uari, Qui viuit & regnat in sæcula sæ-
culorum, Amen.

*Ad duos vel plures presentis
diei Sanctos.*

Orate pro nobis Sancti N. & N. vt
digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

Deus qui annua beatorum N. & N. Breuiar.
solemnitate lætificas, da quęsumus, vt Rom. ad
quos veneramur officio, etiã pię con- S. Cæcil.
uersationis sequamur exemplo.

Omnes Sancti tui quęsumus, Do-
mine, nos vbiq; adiuuēt, vt dum eorū
Merita recolimus, patrocinia sentia-
mus. Per Christum Dominum, &c.

Pro fidelibus Defunctis.

Memento Domine, vt bonus, Ser- Ex Missa
uorum tuorum, & quęcunq; in S. Chry-
Vita sost.

Vita deliquerūt ignosce. Nemo enim sine Peccato, nisi tu Domine, qui potes migrantibus dare quietem.

Memento dormientium, Principum, Pontificū, Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorū & Ministrorum tuorum, Parentum nostrorum, & omnium in recta Fide quiescentium. Colloca animas eorum in sinu Abrahę, Isaac et Iacob. Per Christum, &c.

Precatio quate Deo Commendes.

B. Aug.
Cap. 40.
Medit.

Domine Deus omnipotens, tibi cōmendo hodie & in omni tempore animā meam, Corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum & tactum: Omnes cogitationes, affectiones, locutiones, actiones, omnia exteriora & interiora: Sensum, intellectū, memoriam, fidem, credulitatem, & perseuerantiam meam, in manus potentie tue, vt custodias ea diebus ac noctibus, horis atq; momentis.

Precat.

*Precatio ut in Deo super omnia
Bona quiescamus.*

DA mihi dulcissime et amantissime Iesu, in te super omnem Creaturam requiescere, super omnem Gloriam & honorem, super omnem Potentiam & dignitatem, super omnem Scientiam & subtilitatem, super omnes Diuitias & artes, super omnem Suauitatem & consolationem, super omnem spem & promissionem, Deniq; super Angelos & Archangelos, & super omnem Exercitum Cœli, super omnia Visibilia & Inuisibilia, & super omne quod tu Deus meus non es. Quia tu Deus meus super omnia optimus es, tu solus altissimus, tu solus potentissimus, tu solus sufficientissimus, & plenissimus.

O quando ad plenum dabitur vacare mihi & videre quàm suavis Domine Deus meus? O Iesu splendor eternæ Gloriæ, solamen peregrinantis animæ, apud te est os meum sine voce, &
silenti-

Thom.
Kempis.
cap. 23.
lib. 3. de
Imitac.
Christi

silentium meum loquitur tibi, Usquequo tardat venire Dominus meus? Veniat ad me pauperculum suum & latum faciat, Mittat manum suam, & me miserū eripiat de omni angustia. Veni, veni, quia sine te nulla erit quiescens dies aut hora, quia tu es lætitia mea, & sine te vacua est mensa mea. Miser sum, et quodammodo incarceratus et cōpedibus grauatus, donec luce Præsentia tua me reficias.

Querant alij pro te aliud quodcūq; libuerit, mihi interim aliud nil placet, nec placebit, nisi tu Deus meus, spes mea, Salus æterna. Sis ergo benedictus Domine qui fecisti hanc bonitatem cum seruo tuo, secundum multitudinem Misericordia tua. Quid habet ultra dicere seruus tuus coram te, nisi vt humiliet se valde ante te, memor semper propria Iniquitatis & vilitatis? Non enim est similis tui, in cunctis mirabilibus Cœli & terræ.

✠ O diem votis ardentissimis expecten-

tendum, in quo Animæ tibi vnitæ & inenarrabili luce Sapientiæ perfusæ, transformantur in claritatem sempiternæ Gloriæ. Concede obsecro, mi Iesu, vt quamdiu in huius Peregrinationis tenebris versor, oculos mentis ad illius diei fulgentissimum rutilantissimumque lumen apertos habeam, tibiq; Deo meo placeam.

Precatiuncula legenda absolutis cuiusq; diei precibus.

Clementissime Domine Iesu, ego Simon
 precum mearum pensum, distra- Verre-
 ctumq; ac tepidum seruitium meum paus.
 committo diuino cordi tuo corrigendum, ipsumq; tibi offero, ad Nominis tui gloriam, & totius Ecclesiæ tuæ salutem, Amen.

Christianæ Pietatis incitamenta.

Vigilate, quia nescitis diem neque horam.
 Matth. 25.

Deum

Deum time, & Mandata eius observa:
Eccl. 12.

Militia est hominis vita super terram.
Iob 7.

Regnum Cælorum vim patitur, et vio-
lenti rapiunt illud. Matth. 11.

Non coronabitur nisi qui legitime cer-
tauerit. 2. Timoth. 2.

Intrate per angustam portam, quia lata
porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad per-
ditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.
Matth. 7.

Quam angusta porta, & arcta via est
quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui in-
veniunt eam. Ibidem.

Qui vult venire post me, abneget se-
metipsum & tollat Crucem suam, et sequa-
tur me. Luc. 9.

Obedite præpositis vestris, & subiaccete
eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro
animabus vestris reddituri. Heb. 13.

Melior est Obedientia, quam Victimæ.
1. Reg. 15.

Ne vita Tragedia?



Precauuncula qua mentem oraturus præpares.

CLementissime Domine Iesu, tu me rege, ac posside, vt Preces meas debite ac deuote persoluam, ad nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem, Amen.

Simon Verre-
paxus.

Supplex oratio Pœnitentis.

COelestis Rex & Dominator, ô clemens & benigne Redemptor, infirmus ego & imbecillitate oppressus, quiq; à perfectione, quâ tu desideras, longissime abs sum, ad te venio. Con-
scientia

Ioã. Fabo
in Prec.
Christia.

scientia mea quotidie me accusat, & singulis momentis experior nullam esse in carne mea sanitatem. Te offendendo sine intermissione, Omnes meæ Cogitationes, Verba, & Opera, quæq; facio, quæq; omitto, Esus, potus, somnus, vigiliae, omnes mei, siue interni, siue externi sensus ad malum sunt inclinati.

Quo me vertam, ô Domine, tu requiris à me integritatem & iustitiam, & ad hæc auxilium mihi tuum & robur promisisti, vt perficere & exequi possim, quæ præcipis & vis: Sed, ô Domine, Voluntatem meam tam peruersam deprehendo, vt non cupiam, & ex toto corde expetam, quæ sunt Animæ meæ necessaria.

Non venit in mentem meam vera Pœnitentia, & Contritio, nec dolorem aliquem ex Peccatis meis capio, vsque adeo vita impia me delectat, vt Bonitatis tuæ, & Dilectionis, omniumque beneficiorum, quæ in me Peccatorem

rorem miserum in Morte ac Passione
tua contulisti, obliuiscar.

Peccata mea, ô Domine, tot sunt,
ac tam grauiâ, quibus iram tuam cō-
merui, vt Animæ meæ iam dudum in
abyssum Regni inferi & perditionis
fuerit migrandum, nisi tu me auxilio
tuo sustinuisses. Quod ergo non fun-
ditus interij, tantum Misericordiæ tuę
acceptum fero, Clementiæ tuæ ad Sa-
lutem meam debeo.

Sed quid agam? Dicam cum Parri-
cida & latrone Cain, Maiora sunt de-
licta, quàm vt Gratiam adipiscar? Pro-
cul hæc cogitatio facessat. Immo sic
dicā, Deus meus est misericors, Chri-
stus Saluator meus est mitis, & beni-
gnus, Deus est spes mea, solatium, &
refugium meum, non despiciet opus
manuum suarū, nec me Peccatorem
miserum proijciet.

Quapropter ad te accurro, ô Deus
clementissime, et coram te cordis mei
desiderium effundo, Cōfiteor in con-
K spectu

spectu tuo, ô Deus, Imbecillitatem meam, imperfectionē agnosco, multitudinem Peccatorum meorum deploro.

O clemens, ô mitis, ô Cœlestis Pater peccaui in te & in Cœlum ipsum, non sum dignus, qui filius tuus dicar, Paterna enim tua Bonitate, et leni imperio ad meam perditionem turpiter abusus sum, Fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis, Pasce & recrea me pane Cœlestis tuæ Gratia, vt sic confortatus, tibi in tua domo cum puritate & iustitia per omnes Vitę meę dies, inseruire & ministrare possim.

O summe Deus, te humiliter oro propter Passionem, propter dilectissimam Genitricem tuam, propter eam, quæ te effusissimè amauit Magdalenam, cui tu multa remisisti Peccata: atq; ipsi, vt in æternam Patriam perueniret, opem præstitisti, mihi etiam misero Peccatori sis propitius, me etiã misericors respice. Aufer à me peruersum

uersum huius mundi Amorem, et carnis concupiscentiam: Ingere cordi meo ardentem Gratia tuae & Beatitudinis cupiditatem.

Da mihi benignissime Saluator veram Pœnitentiam de Peccatis meis. Fac etiã vt hoc ipsum defleam, quod hucusque iusto ex Delictis meis dolore non sum compunctus. Crea in me Cor mundum, vt tandem reiecta omnia vitia mihi penitus displiceant.

Concede vt per salutare hoc Sacramentum pœnitentiæ, tibi possim reconciliari, & in tempore in Gratiam tuam recipiar. Largire mihi firmum propositum Vitam meam corrigendi, vtq; tua ope presenti adiutus, robore suffultus, in bono perseuerem vsq; ad Vitæ meæ exitum, & tandem ad æternam Patriam liceat venire, vbi te perpetuo adorem & venerer in Regno tuo dominantem, Amen.

Ad SS. Trinitatem.

B. Aug.
Cap. 33.
Soliloq.

O Tres coæquales & coæternæ Personæ Deus vnus, & verus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: qui solus habitas Æternitatem & Lucem inaccessibleem. Qui fundasti terrâ in Potentia tua, & regis Orbem terræ prudentia tua.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, terribilis, & fortis, iustus & misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis, vnus Deus, tres Personæ, Vna essentia, potentia, sapientia, bonitas, vna & indiuisa Trinitas.

Aperi mihi clamâti portas iustitiæ & ingressus in eas confitebor tibi Domine. En ad ostium tuum summe Pater familias mendicus pulso. Iube aperi pulsanți, qui dixisti, Pulsate et aperiatur. Pulsant enim, Pater misericordissime, desideria rugientium præcordiorum meorum.

Ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

ditus. Et tu Domine, non auertas faciem tuam amplius à me, nec declines in ira à seruo tuo.

Pater Misericordiarum audi eiulatum pupilli tui, & porrige manum tuam optimam adiutricem, & retrahat me de profundis aquarum, & de lacu miseriae, & de luto facis, ne peream vidente Misericordia oculorum tuorum: sed euadam ad te Dominum Deum meum, vt videam diuitias Regni tui, & intuear Faciem tuam semper, & Laudem dicam Nomini tuo sancto.

Pro Fide, Spe, & Caritate.

PER ineffabilem Misericordiam tuam obsecro te misericordissime Domine Iesu, infunde Animae meae Fidem simplicem & rectam, Spem firmam, et Charitatem ignitam atq; perfectam. Vt à cunctis erroribus & peccatis liber, intellectum meum in captiuitatem obedientiae Ecclesiae tradam, & omnem cogitatum meum in te proijciam,

Ioã. Lanspergius
in Diui.
Amo.
pharetra.

totumq; me tuæ providentiæ credam,
 nihil à te Creaturas respiciens, sed in
 cunctis Paterni tui cordis curam &
 pietatem erga me intelligēs, de manu
 tua omnia accipiam, pro omnibus te
 laudem, & gratias agam, & in bene-
 placitum tuum, totum me semper re-
 signem, offeram & expendam.

Pro concordia Christian. Principum.

Matth.
 Galenus
 ex theo-
 rijs Ger-
 manicis.

Clementissime & benigniss. Deus,
 à cuius Gratia nobis Bona omnia,
 tum Pax in primis et Concordia pro-
 cedunt, quæ nobis tantopere cōmen-
 dasti, vt velut in legatum quoddam
 relinqueres: Concede propitius quæ-
 sumus, quod à nobis ipsis obtinere nō
 possumus, sed tua duntaxat bonitate,
 vt in Populo tuo Pax & Concordia
 conseruetur, eaq; non in Fide solum,
 & Religione, sed etiam in his ipsis ex-
 ternis Bellis, quæ à Regibus nostris in-
 ter ipsos geruntur.

Iube Domine cōsopiri discordias,
 hæreses & errores, quæ nunc, pro do-
 lor,

lor, ob delicta nostra, enata sunt, et noua etiamnum enascuntur, quæq; ipsa, quod Vitam non emendemus, indies se latius dispergunt diffunduntq;.

Quin etiam hoc confice Domine, ne Peccata nostra, has Principum Christianorum inter ipsos dissensiones, commereantur: Quæ res infidelibus, qui hæc vel cernunt vel audiunt, magno est offendiculo, eoque enim & tuam sanctam Fidem vituperant, & Nomen tuum summè venerandum, blasphemant.

Ob hæc tu sæpe misertus es in lege veteri, & pepercisti populo Iudaico licet immerenti, & prorsus ingrato: Quanto magis igitur, tuæ scilicet est Pietatis, misereri nostri in hoc tempore Gratia, quamuis hoc ipsum non promereamur.

Respice nos igitur, & sis nobis propitius ac misericors, vt Nomen tuum hoc magis vbique gentium celebretur ac glorificetur: Vt et infideles eo se

K 4

magis

magis ad te conuertant, in te credant,
tibi seruiant, te laudent & glorificent:
Quod nobis concedatur per Iesum
Christum Filium tuum, qui tecū &c.

Precatio valde pia & salutaris.

Lod. Blo
sius in
Cimeli-
archio
piarum
Precula-
rum,

PATER benignissime, Pater exorabi-
lis, Ego pro vniuersis Peccatis meis,
proq; Peccatis totius mundi, offero ti-
bi Vitam, Passionem & Mortem vni-
geniti tui Domini nostri Iesu Christi:
offerō eius labores, ieiunia, fatigatio-
nes, vigiliās, orationes, Lacrymas, do-
ctrinam, humilitatē, mansuetudinem,
patientiam & caritatem. Offero eius
mœrorem, angustias, cōtumelias, pœ-
nas, liuores, & vulnera. Offero vniuer-
sas preciosi Sanguinis eius guttas. Of-
fero merita dulcissimæ genitricis eius
virginis Mariæ, atq; omnium Sancto-
rum tuorum.

Pie Iesu, Redemptor meus, gratias
tibi ago pro innumerabilibus benefi-
cijs, quæ mihi indigno præstitisti, &
adhuc

adhuc quotidie largiris, Pro sacratissima Incarnatione tua, pro Natiuitate tua sanctissima, Pro Passione tua, Pro effusione benedicti Sanguinis tui, & pro morte tua ignominiosissima. Fac me quæso participem omnium tuorum Meritorum, & præsta, vt per diligentem Virtutum tuarum imitationem, in te, qui es vera vitis, palmes inueniar.

Sancte Spiritus, Consolator meus, commendo tibi Animam meam & Corpus meum, commendo tibi progressum & finem vitæ meæ. Concede salutarem exitum, da vt verè pœnitentiã agam, verè doleam propter Peccata mea, & ab eis ad Gloriam Nominis tui perfectè purificer, antequam migrem ex hoc mortali corpore.

Ego corruptus et cœcus in affectionibus, desiderijs, atq; iudicijs meis facile implicor, facile erro, facile seducor & illudor, propterea me totum tibi cõmitto offeroq;.

K 5

tuum

tuum ab omni malo, doce & illumina mentem meam, gubernam me intus & foris, cōfirma Spiritum meum aduersus inordinatam pusillanimitatem, & superfluos Conscientiæ scrupulos. Da mihi rectam Fidē, inconcussam Spem, sinceram perfectamq; Caritatem. Tibi suauiter afficiar, te intimè diligam, tuam Voluntatem vbiq; perficiam.

O Sacrosancta Trinitas, Deus omnipotens, commendo tibi hanc nostram Congregationem, commendo tibi omnes res huius loci, omniaq; negocia spiritalia et corporalia. Cōmendo tibi Benefactores, p̄p̄inuos, amicos, familiares, & omnes pro quibus orare debeo, omnesq; qui Preces meas expetierunt aut experunt. Cōmendo tibi totam Ecclesiam tuam, instaure quæso in ea vitæ puritatem. Præsta vt omnes se corrigāt, mutuam Caritatem inter se alant, teq; diligant. Errantes reuoca ad viam Salutis, Hæreses extingue, & ad Fidem tuiq; cognitiō-

gnitionem conuerte eos, qui adhuc te ignorant. Omnes qui mœroribus, tentationibus, calamitatibusq; premuntur, consolare & subleua.

Aue candidum liliū semper tranquilla Trinitatis virgo Maria, ex qua nasci, & cuius lacte pasci, Rex cœlorū voluit Iesus Christus splendor Paternæ gloriæ. Adesto ô Mater fragilitati meæ, in omni têtatione & necessitate, in omni periculo Peccati, & in hora mortis meæ, vt te auxiliante atq; protegente merear semper in Dño esse securus.

O beati Spiritus Angelici orate pro me, & præcipue tu Angele sancte, custos animæ & corporis mei, gere fidelem mei curam.

O Sancti Sanctæq; Dei omnes, qui traiecto huius exilij pelago, feliciter peruenistis ad portum Patriæ cœlestis, humiliter vos in Patrocinium mei inuoco, adiuuate me vestris Meritis atq; Orationibus, nunc, & in hora Mortis meæ, Amen.

Pro

Pro Christianæ Vitæ perfectione.

Ioſ. Lan-
ſpergius
in Diui-
ni amo-
ris pha-
retta.

Omnipotens æterne Deus, Creator
& amator meus, laudo, adoro, &
benedico te, quod vsque adeo miseri-
corditer ac longanimiter me in Pec-
catis meis vsque ad hanc horam to-
lerasti. Vitam & vitæ necessaria, ange-
licamque custodiam, mihi conferens
indigno & contumelioso.

Ah pie Deus, quis scit, si ad vespe-
ram viuendi terminus mihi proroga-
bitur? aut quam mortem ego sortiar?
Da mihi misericordissime Pater Cō-
tritionē, qua ex toto corde meo Pec-
cata mea, & quod te offenderim de-
fleam: Et non sinas animam meam de
corpore egredi, nisi per Misericordiā
tuam sit tibi reconciliata, per Gratiam
tuam adoptata, tuis Meritis atq; vir-
tutibus ornata, & Caritate perfectis-
sima inflammata.

Clementissime Domine Iesu, licet
indignissimus sim exaudiri, Da mihi
quæſo in hac vita à Peccatis meis om-
nibus

nibus per Passionis tuæ merita purgari, vt moriens ex vera contritione compunctus, & ardentissima Caritate tibi vnitus, emigrem ad te dulcissimum Redemptorem meum ab omni damnatione ac purgatione liber atq; securus.

Nihilominus offero & resigno me tibi: amantissime Iesu, secundum omne beneplacitum tuum, ad agendum, & patiendum pro Gloria tua: hoc vnum orans, vt memor sis fragilitatis, vilitatis, atque miseriæ meæ, vt me nunquam derelinquas, neq; à me recedas, sed me totum regas semper & possideas secundum tuum beneplacitum, Amen.

In rebus afflictis pro Patientia.

Miserere Domine, miserere mihi miserrimo Peccatori indigna agenti, & digna patienti, assidue peccanti, & tua flagella quotidie sustinenti. Si penso malum quod feci, non est
tan-

B. Aug.
cap. 83.
Medit.

tantum quod patior, grauius est quod commisi, leuius est quod tolero.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, & non est vlla iniquitas in te, non enim iniuste, neque crudeliter affligis nos Peccatores, omnipotens & misericors Domine, qui cum non essemus potenter fecisti nos, & cum perditii fuisset culpa nostra, Pietate & Bonitate tua inenarrabiliter reparasti nos.

Scio & certus sum, quod vita nostra temerarijs motibus non agitur: Sed à te Domino Deo nostro disponitur et gubernatur. Vnde tibi cura est de omnibus, præcipuè de seruis, qui totam spem suam posuerunt in sola Misericordia tua.

Idcirco obsecro & suppliciter rogo, non facias mihi secundum Peccata mea, quibus iram tuam merui: sed secundum magnam Misericordiam tuam, quæ superat etiam Peccata totius mundi.

Tu

Tu Domine, qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem Patientiam, ita vt laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine, miserere mei, et adiuua me sicut tu nosti, quod mihi est necesse, in Corpore, & in Anima. Scis omnia, potes omnia, qui viuus in secula, Amen.

Pro Pastore, vel Praefecto Ecclesiastico.

DEus omnium fidelium Pastor & Simon
 Rector, de cuius munere venit, vt Verre-
 tibi à fidelibus tuis dignè & laudabi- paus.
 liter seruiatur: hunc famulum tuum,
 quem Ecclesiae tuae praesse voluisti,
 propitius respice, & largire ei, quaesumus, vt omni repulsa negligètia, officio suo diligenter et recte defungatur, & gregem sibi concreditum Doctrina & Exemplo bonorum Operum fideliter pascat, quatenus nimirum omnes ipsius Subditi ita per eum in via Virtutum proficiant, vt ipse cum illis, et illi cum ipso expectata laborum premia

præmia simul percipere mereantur.
Per Christum, &c.

Pro loci alicuius Ludimagistro.

Idem.

Omnipotens æterne Deus, qui in Ecclesiæ tuæ ædificationem & defensionem, etiam literarum Scholas constituisti, in quibus Paruuli de Diuina Voluntate tua, & sua Salute erudirentur.

Largire propitius huius Scholæ nostræ Præceptori sedium tuarum assistricem Sapientiam, quæ cum ipso sit, & cum ipso laboret, vt Discipulos sibi commissos, qua debet fide & diligentia informet, cum in omni studio literarum, tum in vera & Catholica Fide. In tui Timore & dilectione, atque in omni Christiana Pietate, ad perpetuam honorem tui Nominis & Discipulorum salutem. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Pro Ecclesia Catholica.

Ioan. Ferrus in li.

Domine Deus, auge in nobis Fidẽ, Spem, Charitatem, radicatus extir-

pa

pa omne Peccatum & vitium, discor-
diam, infidelitatem, errores, opinio-
nes, Increpa errantes, conuerte incre-
dulos, Schismaticos in Ecclesiæ vnita-
tem recollige, Lumen gratiæ tuæ illis
ostende, Ecclesiæ tuæ Pastores et Præ-
positos, cæterosq; Primores, Impera-
torem, Reges, Duces, Episcopos, &
omnem Potestatem ab omnibus ad-
uersitatibus Corporum Animarum-
que custodi.

Prec. ex
cap. 40.
Medit.
August.

Peccatores ad veram Pœnitenti-
am conuerte, Iustos in bono conserua,
Cogitationes eorum, Verba, & Opera
confirma, Miserere omnium Domi-
ne, & in tua seruitute deditos tibi cor-
roborata, Enutri operarios, Erige inœ-
stitia pressos, Infirmos cura, Egenti-
bus necessaria administra. Peregrinã-
ribus optatum largire in Patriam re-
ditum. In periculis maris constitutis
portum Salutis tribue. Prægnantes læ-
tifica. Captiuos solue.

Dimitte omnibus, qui mecum Pec-

L

caue-

cauerunt, vel quos ad peccandum impulsi. Affectis per me iniuria, scandalizatis, vel circumuentis redde centuplum. Sanguine vel familiaritate mihi coniunctorum, Parentum, Fratrum, Sororum, quorum vtor opera; vel ope, qui pro me orant, qui orationi meae se commendarunt. Omnium de me bene sentientium iter in viam Salutis dirige. Exaudi illos in quacunq; tribulatione ad te clamauerint. Inimicis nostris & nobis Caritatem largire perpetuam. Sit in omnibus Patientia, benignitas, Misericordia. Procul sit Inuidia, ira, & amarulentia.

Sed & pijsime Pater miserere omnium Animarum in Christo dormientium, in primis Parentum meorum, caeterorumq; cum quibus familiariter sum conuersatus, vel quorum haereditates nunc possideo, omniumq; qui in tua Fide requiescunt. Requiem aeternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis, Amen.

De

De Passione Domini.

Domine Iesu Christe qui pro Redem-
 ptione Mundi, Miseras et an-
 gustias, opprobria, et conuitia, calum-
 nias & iniurias, pœnas & afflictiones,
 Passionem & Mortem patienter ferre
 voluisti, tu per hæc omnia, quæ pro-
 pter Peccata nostra pertulisti, à Pec-
 catis omnibus, & vitijs, ab omnibus
 huius seculi periculis & infernalibus
 pœnis, à subitanea Morte & æterna
 melibera.

Lud. Car-
 thus, lib.
 de vita
 Christi.

Et da mihi, obsecro te, omnia quæ
 pro me tolerasti, non fugere vel obli-
 uisci, sed præ oculis semper habere, &
 ardenter amplecti, vt laboris & dolo-
 ris participem, etiam requiei & con-
 solationis tuæ me velis esse consortem
 Amen.

Gratiarum actio.

Deus sancte Sanctorum, Deus om-
 nipotens, **DEVS** æterne, **DEVS**
 Spirituum & omnis Carnis, à cuius
 vultu

Schola-
 ri? Theo-
 logus te-

ste Alar- vultu tremit, & Coelum, & Terra, te
do Am- adorant, te celebrant omnes Creatu-
stelreda- ra. Et ego mea erga te Fide adductus
mo. hodie cordis mei genua flecto sub tuæ
Maieſtatis pedes.

Gratias tibi ago quod me cum ni-
hil eſſem, non ſolum finxiſti, verum
etiam ad imaginē tuam, hoc eſt opti-
mè. Quod mihi nihil promerito, pie-
tatem indideris, quod arcanis Eccleſie
tuæ Sacramentis ſanctificāris, quod
me bonis tuis omnibus iam inde à
Puerō educaris.

Atqui, ô Conditor Cœli, Terræ &
Maris, cum tibi uſui eſſe non queam,
cuiusnam gratia tuam in me benefi-
centiam oſtendis? Tuo beneficio &
olim ſum natus & innumerabilibus
donis ornatus, tuum beneficium, ac
tua benignitas hæc omnia fecit.

Ipſe verò quum pro horum vno,
agere non ſufficiam, quomodo pro
tot millibus referre poſſem? quomo-
do Tenebræ laudabunt Lucem? quo-
modo

modo Vanitas Veritatem? quomodo
Mortalis tuam immortalitatē? quo-
modo immundities Puritatem? Quis
vero collaudabit opera tua? quis tuas
annunciabit laudes? Sed tu, vt indul-
gentissimus Pater, vota nostra susci-
pis, & liberorum tuorum gratiarum
actiones qualescunq; boni consulis.

Itaq; dignum me fac Deus bone,
vt tibi gratias agam, vt tuas laudes iu-
giter personem, vt tuæ Caritati ad-
hæream, vt tibi pro Beneficijs & mul-
tis & magnis, quibus me honoratum
fecisti, gratias agam, vt Periculorum
nomine, quibus me sepe liberaſti, gra-
tias persoluam. Pro omnibus deniq;
tum iucundis, tum aduersis, officium
rependam, quando omnia in bono
iudicio fecisti.

Quando tu Domine existis ani-
marum & corporum nostrorum, vi-
tæ & mortis, sanitatis & morbi, feli-
citatıs & infelicitatis. Breuiter om-
nium rerum momenta in tua sunt

L 3 manu.

manu. Latificas beneficia conferendo, contristas obiurgando, differs corrigendo, consolaris nostrā ignauiam ad te reuocando. Gloria variæ tuæ sapientię. Gloria ineffabili tuæ Potentię. Laus insatiabili tuo in genus humanum amori.

Guberna & vitæ nostræ reliquum, Dux mitissime & gubernator vigilantissime. Tu enim gubernator, nos clauus, Dirigat igitur clauum tua manus, quo ipsa voluerit, quo ipsa decreuerit. Neque enim in arcu meo sperabo, neque gladius meus me seruabit, sed dextera tua, sed brachium tuum, sed illuminatio clarissimi vultus tui.

Fiat optime Rex Voluntas tua vt in Cœlo & in Terra, sic et in nobis. Quod si forte à tuæ Voluntatis decretis declinauerimus, ne statim iram conceperis misericors Deus, quū non ignores quam fragile sit Creaturæ nostræ figmentum. Quin si tu vis, seruare me potes, fac idem te velle, Nisi enim tua
poten-

potentia me firmauerit, ego quod volo non possum.

Itaque consolare cor meum ineffabili tuæ benignitatis dulcedine, nimirum ut futuri gaudij æterni, quo in te fruemur, tenuis quidam sensus nostram subleuet mentem. Postremò dignum me redde, qui post præsentem hanc vitam, percurram ad te & Dominum, & Deum meum, & tui Regni diuitias liceat inspicere & Claritatem tui Vultus contemplari.

Id quod ratū fac sancte Rex Deus vere & Conditor meus, per preces Deiparæ & sanctissimæ Virginis Mariæ, tum & sanctorum Angelorum & Sanctorum omnium, Amen.

Peccatorum coram Deo Confessio.

ROgo te Clementissime Deus, da mihi cordis contritionem & lacrimarum fontē, ut pro vulneribus Animæ meæ indefinenter diebus ac noctibus

Ioā. Cas-
sianus
Confes.
Theo.
parte 1.

L 4 Etibus

Et tibus defleam, donec tempus est acceptabile, & donec dies sunt Salutis: ne iniquitas mea multa & Peccata mea innumerabilia, quæ nunc celata sunt, in die illo tremædi examinis appareant coram spectantibus Angelis & Archangelis, Prophetis & Apostolis, Sanctis & omnibus Iustis.

Miserere mei Domine, miserere mei, qui non vis mortem Peccatoris: sed ut conuertatur & viuat, & ne reserves mala mea punienda in illa futura Vita, sed in præsentis vita puni ea, quomodo, & quantum tibi placet.

Ecce in manu tua sum: fac de me quod tibi videtur: Fac me pro pietate & Bonitate tua, planè & perfectè antequam moriar pœnitere, & plangere omnia Peccata mea, quæcunque egi contra Voluntatem tuam à Pucro, & cunabulis meis, corde, ore, opere.

Per omnipotentem & pijsimam Bonitatem tuam, qua iustificas impios, te rogo, fac me Diem illum terribilem

bilem habere semper præ oculis, & amarissimè pro peccatis meis quotidie flere: vt in Hora illa tremenda inueniam Misericordiã in cõspectu ipsius æterni Iudicis, & videam faciem eius cum multa lætitiã & securitate, collocatus ad Dexteram cum Sanctis omnibus propter tuam multam Misericordiam & Bonitatem.

Ad Sanctum præsentis diei.

DEVS qui animæ famuli tui sancti Simon
 N. æternæ Beatitudinis præmia Verre-
 contulisti, concede propitius, vt cuius ^{pæus.}
 hodie memoriam religiose colimus,
 eius quoq; viuendi exemplum imitemur:
 & precibus eiusdem ac Meritis, æternitatis
 gloriam cõsequamur. Per
 Christum Dominum, &c.

Sancta Maria & omnes Sancti in- ^{Precatio}
 tercedant pro nobis ad Dominum, vt ^{Eccles.}
 nos mereamur ab eo adiuuari & sal. ^{Rom.}
 uari, Qui viuit & regnat in sæcula sæ-
 culorum, Amen.

L 5

Ad

*Ad duos vel plures presentis
diei Sanctos.*

ORate pro nobis Sancti N. & N. ut
digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

Deus qui annua beatorum N. &
N. solēnitate lætificas, da quæsumus,
ut quos veneramur officio, etiam piæ
conuersationis sequamur exemplo.

Breuiæ.
Rom.
S. Cacil.

Omnes Sancti tui quæsumus, Do-
mine, nos ubique adiuuent, ut dum
eorum Merita recolimus, patrocinia
sentiamus. Per Christum Dominum
nostrum, &c.

Pro fidelibus Defunctis.

In Missa
S. Jacobi

Memento Domine Deus noster,
Spirituum & vniuersæ Carnis,
quorum memoriam egimus, & quo-
rum non egimus, Orthodoxorum ac
recte de Fide sentientium, ab Abel iu-
sto vsq; ad hodiernum diem: Fac eos
requiescere in regno Viuentium, In
Regno

Regno tuo, In delicijs Paradisi, In sinu
Abrahæ, Isaac, Iacob, & sanctorum
Patrum nostrorum, vnde exulat do-
lor, tristitia & gemitus, Vbi præsidet
lumen vultus tui et perpetuo refulget.
Per Christum Dominum, &c.

Precatio qua te Deo commendes.

IN manus ineffabilis Misericordiæ
tuæ commendo animam meam &
Corpus meum: Sensus & sermones
meos, Cōsilia mea, cogitationes meas,
opera mea, & omnia corporis mei &
animæ necessaria: Introitum & exi-
tum meum: Fidem & conuersatio-
nem meam: Cursum & finem vitæ
meæ, Diem & horam expirationis
meæ, obitum meum, Requiem & re-
surrectionem animæ meæ, cum San-
ctis & electis tuis, Amen.

Ex Eu-
cholo-
gio Ec-
clesi.

*Precatio ut ad Cœlestia iugiter
erigaris.*

O Supernæ Ciuitatis mansio bea-
tissima, ô dies æternitatis claris-
sima,

Thom.
Kempis.

Cap. 53.
lib. 3. de
Imita-
tione
Christi.

lima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat. Dies semper læta, semper segura, & nunquam statum mutans in contraria. O utinam dies illa alluxisset & cuncta hæc temporalia finem accepissent, lu-
cet quidem Sanctis perpetua claritate splendida, sed nō nisi à longe per speculum peregrinantibus in terra.

Norunt Cœli Ciues, quam gaudio-
siosa sit illa, Gemunt exules filij Eux,
quam amara & tædiosa sit ista. Dies
huius temporis parui & mali, pleni
doloribus & angustijs, vbi homo
multis Peccatis inquinatur, multis
Passionibus irretitur, multis timori-
bus stringitur, multis curis distendi-
tur, & multis curiositatibus distrahi-
tur, multis vanitatibus implicatur,
multis erroribus circūfunditur, mul-
tis laboribus atteritur, tentationibus
grauatur, delicijs eneruatur, egestate
cruciatur.

O quan-

O quando finis horum multorum laborum? quando liberabor à misera seruitute Vitiorum? Quando memorabor Domine tui solius? Quando ad plenum lætabor in te? Quando ero sine omni impedimento, & in vera libertate sine omni grauamine mentis & Corporis? Quando ero Pax solida, imperturbabilis, & secura, pax intus & foris, pax ex omni parte firma?

Iesu bone quando stabo ad videndum te? Quando contemplabor Gloriam Regni tui? Quando eris omnia in omnibus? O quando ero tecum in Regno tuo, quod præparasti Electis tuis ab æterno? Relictus sum pauper & exul in terra hostili, vbi bella quotidiana, & infortunia maxima. Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te suspirat omne desiderium meum. Nam onus mihi totum est, quidquid Mundus hic offert ad solatium.

Deside-

Desidero te intime frui: sed nequeo apprehendere. Opto inhaerere Cœlestibus: sed deprimunt res temporales & immortificatæ Passiones. Mente omnibus rebus superesse volo, Carni autem inuitè subesse cogor.

Sic ego infelix homo mecum pugno, & factus sum mihi metipsi grauis, dum Spiritus sursum et Caro querit esse deorsum. O quid intus patior, dum mente Cœlestia tracto, & mox Carnalium turba occurrit oranti?

Deus meus ne elongeris à me, neq; declines in ira à seruo tuo: Fulgura coruscationem tuam & dissipa eas, emitte sagittas tuas & conturbentur omnes phantasiæ Inimici, Recollige sensus meos ad te.

Fac me obliuisci omnium mundanorum. Da cito abijcere & contemnere phantasmata Vitiorum. Succurre mihi Æterna Veritas, & nulla me moueat Vanitas, Adueni Cœlestis,
Suauis

Suauitas & fugiat à facie tua omnis
impuritas.

Precatiuncula legenda absolutis cuiusq; diei precibus.

Clementissime Domine Iesu, ego Simon
precum mearum pensum, distra- Verre-
ctumq; ac tepidum seruitium meum paus.
committo diuino cordi tuo corrigen-
dum, ipsumque tibi offero, ad Nomi-
nis tui gloriam, & totius Ecclesie tuæ
salutem, Amen.

**Christianæ Pietatis inci-
tamenta.**

Vigilate, quia nescitis, qua hora Domi-
nus uester uenturus sit. Matth. 24.

Fratres satagite, ut per bona Opera Vo-
cationem uestram & Electionem certam
faciatis. 2. Per. 1.

Qui parçè seminat, parçè et metet. 2. Co-
rinth. 9.

Omnia quæcunq; uultis ut faciât uobis
homines, ita & uos facite illis. Matth. 7.

Sol

Sol non occidat super iracundiam vestram. Ephes. 4.

Diligite Inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos. Luc. 6.

Os quod mentitur, occidit animam. Sapient. 1.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Psal. 5.

Diues difficile intrabit in regnum caelorum. Matth. 19.

Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. 1. Timoth. 6.

Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Luc. 12.

Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo. Ibidem.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Prou. 15.

Hospes ne curiosus.

PRECAATIONES 177
 FERIAE V.



Precauuncula qua Mentem oraturus praeares.

Clementissime Domine Iesu, tu me Simon
 rege, ac posside, vt Preces meas de- Verre-
 bite ac deuote persoluam, ad Nomi- paus.
 nis tui gloriam & animæ meæ salu-
 tem, Amen.

Supplex oratio Pœnitentis.

Dominator Domine Deus, miseri- Ioan.
 cors, & clemens, patiens & multæ Episcop.
 miserationis ac verax. Qui propter ni- Roffen-
 miam Caritatem tuam & secundum sis Psal.
 Misericordiam tuam magnâ eripuisti 1. & 4.

M nos

nos de potestate tenebrarum, & saluos fecisti per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudisti in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.

Si inueni Gratiam in cōspectu tuo, permitte me loqui verbum ad te & non irascaris mihi. Quare in perpetuum obliuisceris mei, & deseris me in medio malorum meorum?

Confiteor aduersum me Iniquitatem cordis mei. Nam erga te cor perfidum semper habui ac rebelle, Scelerata mea agnosco Domine, & iniustitias meas contra me pronuncio.

Peccaui in Coelum et coram te, neque iā sum dignus vocari filius tuus. Non te metui Domine Deus omnipotens, neque vltum tuum reueritus sum, inobediens fui: filius infidelis & exasperans prouocaui te in vanitatibus meis.

Exosam habui disciplinam & sermones tuos proieci retrorsum, Abominata.

minabilia feci, & malorum nihil pœnituit, de malo ad malum transiens post concupiscentias meas prauas.

Tradidisti me in desideria cordis mei, vt ea facerem, quæ non conueniunt. Assuefeci linguam meam loqui Vanitates, perficiens voluntatem Carnis & Cogitationum, vt prouocarem oculos Maiestatis tuæ.

Tu scis Domine, quomodo irritaui te in adinventionibus meis malis, & vniuersa mea Delicta à te nō sunt abscondita. Quotidie ignominia mea mihi ob oculos, & pudor faciem meā obtegit, Væ mihi quod recessi à te. Multa mihi calamitas, quoniam flagitiosè vitam duxi.

Et tu Domine Deus, quare obliuisceris mei? & tam diu contines Misericordiam tuā à me? Suscipe causam meam post longam iram tuam, Misericors enim es, ne obliuiscaris obsecro in perpetuum.

M 2

Ne

Ne repellas contritum & humiliatum, miserum & abiectum, qui Nomen tuum suppliciter inuocat. Peccatorem me confiteor, obsecrans te Domine Deus omnipotens pro Bonitate tua, vt facias mecum iuxta magnam Misericordiam tuam.

Et quare morior in Peccatis meis, Domine Deus omnipotens? quum tibi non sit voluntas, vt moriatur impius, tantum vt reuertatur, & viuat.

Patres antiqui in angustijs suis ad te clamauerunt, & tu liberasti eos. In te sperauerunt & non sunt confusi. Cum non haberent vltra quod agerent, hoc solū restabat, vt oculos suos ad te dirigerent, saluasti eos propter Nomen tuum, vt ostenderes in eis fortitudinem tuam.

Prouocabant te in Iniquitatibus suis & ad Iracundiam concitauerunt Bonitatem tuam, & cum tribulationem eorum, & eos tibi supplices vidisses, recordatus pacti tui, poenituit te iu-

te iuxta multitudinem Miserationum
tuarum.

Vbi sunt Misericordiae tuae antiquae
Domine quas firmasti in veritate tua.
Miserere mei, miserere mei ô Domine
Deus omnipotens, nam miser & infe-
lix ego sum, Sana me obsecro, quem
percussisti propter Iniquitatē meam.
Non est sanitas in Carne mea à facie
irae tuae.

Nulla mihi pax à facie Peccato-
rum meorum, Iniquitates meae super-
gressae sunt caput meum, et velut pon-
dus immane quotidie me premunt.
Anima mea plena est immunditijs, &
in me toto nihil est sanum, Domine
notum est tibi desiderium meum, &
necessitas mea te minimè latet.

Propitius esto Peccatis meis pro-
pter te metipsum, ô Domine Deus
omnipotens, & Scelera mea coram te
deleantur. Nam secundum Bonita-
tem tuam promissisti pœnitentiam re-
missionis Peccatorum.

M 3

Quo-

Quoniam Deus es tu, bonus & misericors ac patiens erga nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad Pœnitentiam reuerti. Pius & clemens es, suauis & verus, patiens & in Misericordia disponens omnia. Vniuersæ viæ tuæ Misericordia & Veritas, fœdus & testimonia exquirentibus.

Misericors es, et plenus gratia, propitius ac pœnitēs super malitiam hominū. Miserere mei, ô Domine Deus Salutis meæ propter gloriam Nominis tui. Adiutor esto mihi, ne deseras me, neque despicias me ô Domine Deus meus, & Salus mea, Amen.

Ad Patrem nostrum Cœlestem.

Ioã. Fab.
ex cap. 8.
Medit.

OMnipotens Deus Pater Domini mei, quaeso benignus sis, & misericors mei propter Filium tuum dilectum. Hunc tibi pro Peccatis meis deuotè offero & suppliciter præsentō, nihil enim habeo nobilius, clarius, aut preciosius hoc vnico. Hunc ad
Maie-

Maieſtatem tuam dirigo Aduocatum
meum, hunc conſtituo Mediatorem
inter me & te.

Hunc mitto Interceſſorem, per
quem confido veniam omnium meo-
rum Peccatorum impetrare me poſ-
ſe: Quidquid enim fecit aut paſſus eſt,
omne id propter me & Redemptionē
meam factum eſt. Credo à te miſſam
Deitatem, meam ſuſcepiffe humani-
tatem, in qua propter me alapas, vin-
cula, ſputa, irriſiones ſuſcepit, nec
non Crucem, clauos, telumue per-
tulit.

Huius infantia in cunis vagijt, pue-
ritia pannis conſtricta eſt, iuuentus ſu-
doribus vexata, ieiunijs macerata, vi-
gilijs afflicta, itineribus feſſa, poſtea
affecta flagris, & lacerata eſt ſuppli-
ciji. Hæc eſt, ô Pater, placatio mei &
propitiatio tua, hic attēde pius, quem
genueris Filium, & quem redemeris
Seruum, hic aspice Factorem, & ne
deſpicias Facturam.

M 4

Ample

Amplectere serenus Pastorem fidelissimum, qui me ut errabundam ouiculam, multis gemitibus, varijs laboribus quæsiuit, & vnã quæ perierat ad nonaginta nouem reportauit, hanc ex abruptis & præcipitijs ad loca tuta Pastoris humeris relatã ouem respice misericors.

Ecce Domine mi, Rex meus, omnipotens Pater, Pastor ille bonus restituit tibi, quod ei quærendum commisisti. Ecce tuum tibi carissimus Natus plasma reconciliauit, quod à te procul deuiãuit: Reduxit ille quod à prædone abactũ fuerat. Reddit conspectibus tuis seruum, quem sua conscientia fecerat fugitiuum. Parce ô Domine seruo tuo propter Filij tui dilecti Intercessionem.

Potui per me te summe Pater offendere, sed nõ valui per me placare. Factus est adiutor meus, Deus meus tuus dilectus Filius. Hic nostram assumpsit humanitatem, ut meam sanaret

naret infirmitatem, me tibi placaret, se offerret, ubiq; sacrificium laudis immolaret, me per hoc tuæ Pietati reconciliaret, & vt sedens ad Dexteram tuam, meæ substantiæ ostenderet se esse consortem.

Ecce ô Deus hic tuus filius, tota mea spes, tota q; fiducia est. Si me pro mea, vt dignum est, abijs iniquitate, respice me saltem misericors pro dilectæ Sobolis Caritate. Attende in filio, quo propitieris seruo. Quoties beatæ Prolis tibi patent vulnera, contegantur & delitescât in his mea Scelera. Quoties rubet preciosus pio delatere Sanguis, diluatur obsecro labes meæ pollutionis.

Et quoniam Caro mea te lacessiuit ad iram: Caro quâ induit Filius tuus te flectat ad Misericordiam. Sicut me mea Caro seduxit ad culpam: Sic Caro Filij tui reducat me ad Veniam. Et si enim summa sit nostra Impietas & Iniustitia, maior tamen tua est Misericordia,

cordia, quę totius Mundi mala in qualitate & quantitate sua excedit.

Te oro Cœlestis Pater, mitis ac misericors Deus, Gratiam tuã mihi impertire, participem me fac Passionis, quam Filius tuus pro nobis exoluit. Et ea etiam consolatio ad me dimãnet, vt te in perpetuum laudare, tibiq; gratias agere possim, Amen.

Contra errores Fidei.

Ioã. Fab. **O**Mnipotens, misericors Deus, qui
in Prec. populum tuum omni tempore
Christia. clementer & potenter conseruasti: te
ex corde oramus supplices, da vt in
hac peregrinatione, relictis deuijs, re-
ctam viam, quę in æternam Patriam
ducit, cognoscamus, nec ab hac semi-
ta vnquam deflectamus. Da nobis
veram & Christianam Fidem, da di-
lectionem mutuam & ardentem tuũ
Amorem, vt tibi omni vita nostra pla-
ceamus.

Te etiam precamur ô Deus mitissi-
me, ne deseras nos in tam varijs &
pro-

prodigiosis Erroribus, ne sinas nos illis intricari.

Implicitos libera, & tentationem huius Mundi propelle.

Præbe & in nobis effice, vt cōstantes in recta Fide, veroque & sancto Amore, vsq; ad finem perseueremus, vt metam præfixam Beatitudinis æternæ assequamur: vt tandem nos defunctos his malis, tua immensa Misericordia comprehendat. Per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Professio Christianæ Fidei.

OMnipotens, æterne DEVS, miser ego homuncio, & Peccato obnoxius, hodie coram te foedus in Baptismo ante initiū renouo, & vota Christiana, quæ in sacro fonte præstiti, redintegro. Idem

Ore & verbis conceptis fateor me ex toto corde meo, omnibus ijs indubitam Fidem adhibere, quæ Dominus noster IESVS Christus dilectus

Etus filius tuus, & sponsa ipsius sacrosancta Ecclesia, ductu & inspiratione sancti Spiritus iniungit & præcipit ut credam: siue ea singulariter & perfectè sciam, siue ignorem.

Hac pronunciatione mea disertè testor me credere omnes partes Fidei, et adherere Apostolorum dictis, quæque ipsorum Successores tradiderunt, & quæ ex mandato Domini sui prædicantes, per vniuersum orbem docuerunt: Ad quam Religionem & Fidem ego ex mera tua Gratia sum vocatus, in qua sum natus & baptisatus.

In hac offero tuæ Maiestati, quamuis tenuem meum intellectum, eumque ministerijs tuæ Fidei mancipatum trado, & siquid vel Inimici & insidiatoris tétatione, vel mea propria ignorantia seductus, aliquid aduersus hanc Christianam & Catholicam Professionem dixero vel cogitauero, hoc reuocatum et indictum volo: nunquam enim

enim dum ratione mea vtar in hoc
cōsentiam, quatenus tua mihi Gratia
adesse dignabitur. Et in hac re auxi-
lium tuum mihi ne denegas oro.

Pro Vitæ necessarijs.

DVO rogabo te Domine **DEVS** & Salomō
Pater meus, ne deneges mihi an- Prou. 30.
tequam moriar. Vanitatem & verba
mendacij longè fac à me. Mendicita-
tem & Diuitias ne dederis mihi.

Tribue tantum victui meo necessa-
ria, ne forte satiatus alliciar ad negan-
dum, & dicam: Quis est Dominus?
aut egestate compulsus furer, & per-
jurem Nomen Dei mei.

Vt Fructus terræ conseruentur.

OMnipotens sempiterne ac Miseri-
cors Deus, aspice precamur quo-
tidianam nostram Indigentia, Osten-
de Misericordiam tuam, & messem
sufficientem quotidianæ Necessitati
largire munificus.

Ioan. Fe.
rus in li-
Precat.

Sed

Sed & Vineæ, arbores, cæteræq; terræ herbae, tua benedictione fructificēt. Tum Pater cuncta inimica frugibus auerte pius. Noxia sidera, tempestates, aquarum alluvia, frigora, grandines. Et quidquid eiusmodi mali est quod impedit. Per Christum filium tuum veram Vitam, Amen.

Pro salutarī rerum temporalium usu.

Thom.
Kemp.
Cap. 30.
lib. 3. de
Imitat.
Christi,

Obscuro te pijsime Domine Deus meus, præserua me à curis huius Vitæ, ne nimis implicer à multis necessitatibus Corporis. Verte mihi in amaritudinem omnē consolationem Carnalem, ab Amore æternorum abstrahentem.

Ecce Cibus, Potus, Vestis, ac cætera utensilia, ad Corporis sustentaculum pertinentia, feruenti Spiritui sunt onerosa, tribue talibus fomentis temperatè uti, non desiderio nimio implicari.

Abijce-

Abijcere omnia non licet, quia Natura sustentanda est. Requiere autem superflua & quæ magis delectant, lex sancta prohibet: Nam alioqui Caro aduersus Spiritum insolesceret. Inter hæc quæso Manus tua me regat et doceat, ne quid nimium fiat.

*Pro vtroq; Magistratu Eccles.
& Politico.*

Misericors Deus Cœlestis Pater, in cuius manu est omnis terrena Potestas & Magistratus per te constitutus ad supplicium malorum & defensionem bonorum, in cuius potenti dextera sita sunt omnia Iura & leges imperiorum.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christia,

Te supplices corde deuoto oramus, pro Magistratu nostro Ecclesiastico et Sæculari, vna cum ijs, qui sunt vtrique Dignitati à consilijs, et qui Remp. administrant, vt Gladium tam Spiritua- lem, quàm Sæcularem, ipsis per te cõ- missum in Fide vera, & Timore Dei recte

recte gerant, eoque pro tua Voluntate
& iussu vtantur.

Obumbret ipsos Virtus & Sapien-
tia Altissimi, Illuminet & confirmet
eos in Amore Dei, ipsa Diuina Gra-
tia. Da illis ô Domine, sapientiam &
intellectum. Concede paratam gu-
bernationem, vt omnes subditos in
veritate Fidei, Dilectione & Iustitia,
quæ tibi sit cordi, regant, & dicto au-
dientes cõseruent. Proroga ipsis dies
Vitæ suæ, & annos multos largire, vt
prospera laudata ipsorum functione
Nomen tuum sanctificetur & laude-
tur in omne æuum, Amen.

*Pro Consanguineis & alijs pro quibus
orare obligamur.*

Domine Deus, memento & mise-
rere mei, & omnium meorũ Con-
sanguineorum.

Ioã. Ley-
sentriti⁹
in lib. de
ratione
& celeb.
Missæ.

Omnium, quibus fui scandalum
& grauamen.

Omnium Benefactorum meorum
in spiritualibus & temporalibus.

Omnium

Omniū mihi commissorum in
speciali, & generali.

Omniū Sacerdotum et ministro-
rum Catholicæ Ecclesiæ.

Omniū Inimicorum, hæretico-
rum & Infidelium.

Omniū, pro quibus me vis orare,
aut orare debeo. Per &c.

Pro Ecclesia Catholica.

O Pater clementissime, patere te se-
mel exorari, vincat te Pietas tua,
moueat te Calamitas nostra, illa ob-
secro te cogat misereri nostri Caritas,
quæ te coëgit, vt Filium tuum vnige-
nitum traderes in manus Peccatorum
crucifigendum pro nobis impijs, blas-
phemis, idololattris.

Guil.
Linda-
nus in
sacrificij
Christia.
Medit.

Quid ergo nunc facies Pater cle-
mentissime pro Filijs tuis, inter quos
tot sunt myriades, quæ non curuaue-
runt genua sua ante Baal?

Moueat te Calamitas nostra, plaga
nostra, plaga crudelis, qua percussisti

N nos,

nos, & non dolumus: neque Paternis istis tuis flagellis tam ingentibus, tam multis, tam diuturnis, fame, bello, & peste, tanto fratrum nostrorum pernicioso schismate admoniti resipimus, aut ad te reuersi sumus: sed filiorum adulterinorum more, Paternis flagellis magis exacerbati, te ad iram provocauimus, atq; cum Sodoma & Gomorra, Peccata nostra prædicare non erubuimus, neq; in hunc usque diem iactare desistimus. Interea non fuit, qui sese tuo furori opponeret mediū qui manum tuam illa omnia operantem, & adhuc super nos extentam reprimeret.

Propter temetipsum igitur Pater clementissime, miserere tandem Gregis tui miserimi, ac ei dare digneris Pastores secundum cor tuum, qui illum pascant in veritate & iudicio, qui cogitent ex animo de grauissimis iræ tuæ in nos iustissimè seuientis causis semel exscindēdis, de collapsio David
taber-

tabernaculo erigendo, de confractis
etiam instaurandis, de ruinis tempe-
stiuè fulciendis, de reliquijs tandem
colligendis, de ouiculis precioso San-
guine Filij tui redemptis, non solùm
nunc dispersis, atq; errantibus, sed di-
rum in modum dilaniatis, vexatis, ac
tantum non deuoratis, tandem semel
congregandis, sanandis, atq; in Cœle-
stes illas caulas simul reducendis.

Memento igitur nostri Domine in
beneplacito Populi tui, visita nos in
Salutari nostro, ad videndum in boni-
tate Electorum tuorum, ad lætandum
in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum
hæreditate tua.

Peccauimus cum Patribus nostris,
iniuste egimus, iniquitatem fecimus,
Propter Nomen tuum Domine mi-
serere nostri, Exurge, quare obdor-
mis Domine? Exurge, & ne repellas
in finem.

Illa, obsecro, ô Pater clementissi-
me, cogat Pietas nostri misereri, quæ

te coëgit, vt Ecclesiæ tuæ Christianæ promitteres, etiã si mater filiorum vteri sui obliuiscatur, vt non misereatur eorum, non tui tamen obliuiscar.

Respice nunc tandem pauperculam tempestate conuulsam. Memineris illius secundum dies antiquos. excita in ea Verbi tui fidos ministros, qui eodem spiritu, quo pridem Apostoli, non sua, sed quæ Christi, quærentes, reedificent diruta Iacob, filijque tui hereditatem dissipatam nunc colligant, instaurent, innouent, atq; in pristinam restituant Pietatis Euangelicæ faciem.

Patere ô clementissime Pater, te semel exorari, et respice propitius super hanc familiam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi Nocentium, & Crucis subire tormentum. Per eundem, &c.

De Passione Domini.

Ex car-
mine

BENIGNISSIME ac optime Christe Iesu, en ad te me recipio, ad te, ô piè, reuer-

revertor, Sed rubore suffundor & vehementer pudet, cum tua isthac specto Vulnera, cum cerno spineam Coronam, teque hac omnia mea causa perpeffum cognosco. Ego siquidem, ego sum, qui isthac tam dira inflixivi Vulnera: Ego Coronam hac spineam in tuum sacrum Caput impressi, ego te in hanc Crucem adegi.

Corne.
Musij in
Encor-
mio vitæ
mona-
sticæ.

Sed ô quanta tua est Caritas? quæ tua Clementia & Misericordia? Peccavi ego, & tu plecteris, debitæq; necis pœnam pro me luis. Tuus ipse hostis fui: at tu per Crucem tuam me efficis filium. Seruus fui: at tu Sanguine tuo me liberum asseris.

O quid ego tibi rependam, quid retribuam pro tanta Gratia? Ego inquam tam miser & inops et Peccator obstinatissimus. Ingratus sum ego, nec boni quidquam facio, indignus sum planè tuo aspectu, quiq; hanc terram pedibus teram.

O si semel concesseris vt amore tui totus flagrem, tum vero tibi, cui meipsum ac omnia mea debeo, libens hanc etiam Vitam impendam, Amen.

Gratiarum actio.

Lod. Blo
sius in fi-
ne Ca-
nonis
Spiri. ex
14. cap.
Medic.

Miserere mei Deus secundum magnam Misericordiam tuam, & secundum multitudinem Miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Ego vilis vermiculus & inutilis Peccator, supplici mente adoro te, totoque cordis affectu, pietati tuae gratias ago, o Pater coelestis qui per unigenitum Filium tuum Iesum Christum, cooperante Spiritu sancto, quum perissemus misericorditer requisisti nos.

Gratias ago pro inenarrabili tua erga nos dilectione qua ipsum Unigenitum tuum e sinu diuinitatis tuae in hanc vallem miseriae nostrae descendere voluisti, vt Peccatores saluos faceret. Constituisti eum instauratorem Animarum, vt omnis qui credit in illum,
omnis

omnis qui illi per Charitatem placere
studet, habeat Vitam æternam.

Mi Pater dulcissime, ego vltimis
seruorum tuorum, ex penitissimis A-
nimæ meæ medullis, Gratias ago pro
sancta eius Incarnatione, & Natiuita-
te, pro eius Paupertate, & innocenti
Conuersatione, pro eius Passione &
Morte, pro eius Resurrectione & A-
scensione, pro vniuersis eius Docu-
mentis atq; Operibus.

Gratias ago pro Mysterio viuifici
Corporis ac Sanguinis illius, quo in
Ecclesia tua pascimur, potamur, ab-
luimur, sanctificamur, & summæ Di-
uinitatis participes efficimur.

Gratias ago q̄ regeneraueris nos in
spem viuam per resurrectionem eius-
dem Unigeniti tui, quodq; per ipsum
adoptaueris nos in filios, signās men-
tes nostras Spiritus sancto, & donans
nobis pignus hæreditatis æternæ.

Gratias ago pro omnibus Misera-
tionibus inexhaustæ bonitatis tuæ,

N 4

quibus

quibus dignatus es nobis indignis subuenire, per eundem Unigenitum tuum Redemptorem nostrum, faciēs nos tibi genus electum, Regale Sacerdotium, gentem sanctam, populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Gratias ago quod me nullius momenti puluisculum per lauacrum sacri Baptismatis ab Originali culpa emundaueris, prorsusq; purgaueris, ac rectam Fidem donaueris, quam etiam augere non desinis per illuminationem Gratiae tuae, & cohortationes sanctorum Patrum, atque institutionem Matris Ecclesiae.

Gratias ago quod ab ipso vitae meae exordio me semper nutriuisti, vestisti, ac fouisti, suppeditās omnia quae huic corpusculo sunt necessaria.

Gratias ago quod me à Puerō per uniuersa fere scelera diuagantem atq; lasciuientem patienter tolerasti, expectans donec Gratia tua resipiscerem.

Gratias

Gratias ago quod me à periculoso
seculi huius consortio et peccandi oc-
casionibus segregatum, adiunxeris
seruis tuis fidelibus, opportunitatem-
que tibi seruiendi concesseris.

Gratias ago quod ex innumerabi-
libus insidijs, tentationibus, angustijs,
tribulationibus, & periculis me ha-
tenus liberaueris, dirigens, conser-
uans, ac protegens animam meam, &
corpus meum misericorditer, vitæq;
meæ ordinem inter prospera et aduer-
sa mirabiliter dispensans.

Pater suauissime pro omnibus que
mihi largitus es, à primis cunabulis
infantiæ meæ, & pro vniuersis bonis
quæ quibusuis hominibus vnquam
dedisti, ac daturus es, ego ex intimis
præcordijs viscerum meorum sicut
possum tibi gratias ago. Precorq; vt
pariter omnes Spiritus Angelici atq;
omnes Sancti & Electi tui te pro eis-
dem beneficijs tuis laudent, & glori-
ficient in æternum.

Peccatorum coram Deo Confessio.

S. Ephrē
Cap. 2.
Diuino-
rū ope-
rum.

Domine Deus omnipotens, Peccaui in Cœlum & coram te, nec iam dignus sum, qui tuus vocer filius, aut oculos in Cœlum tollam, aut labijs meis impuris inuocē gloriosum Nomen tuum: Me enim & Cœlo & Terra indignum reddidi, quia te mitissime Domine ad Iracundiam prouocaui.

Obsecro Dñe, obsecro, ne proijcias me à facie tua, ne miser peream. Nisi enim Gratia tua me protegat, perij, ero tanquam puluis ante faciem venti, & prope in nihilum redigar.

Verum Gratia tua cōfusus, supplex ad te confugio, vt me à Iustitiæ semita procul aberrantem in viam reducas. Ostende in me Misericordiæ tuæ magnitudinem, vt olim in filium prodigum ostendisti: Miserere mei Deus, vt Peccatoris, & Latronis & Publicani misertus es. Isti cū in terris versaren-
tur

tur ab omnibus vt perditi despicie-
bantur: tu autem illos suscipiens Pa-
radisi incolas effecisti.

Suscipe igitur et Pœnitentiã meam
inutilis serui tui. Venisti enim Domi-
ne non vt iustos, sed Peccatores voca-
res ad Pœnitentiam. Tibi gloria in se-
cula seculorum, Amen.

Ad Sanctum presentis diei.

DEVS qui animæ famuli tui san-
cti N. æternæ Beatitudinis præmia
contulisti, concede propitius, vt cuius
hodie memoriam religiose colimus,
eius quoq; viuendi exemplum imite-
mur: & precibus eiusdem ac Meritis,
æternitatis gloriam cōsequamur. Per
Christum Dominum, &c.

Simon
Verre-
paus.

Sancta Maria & omnes Sancti in-
tercedant pro nobis ad Dominum, vt
nos mereamur ab eo adiuuari & sal-
uari, Qui viuic & regnat in sæcula sæ-
culorum, Amen.

Precatio
Eccl. Ro.

Ad

*Ad duos vel plures, presentis
diei Sanctos.*

Breuia.
Rom. ad
S. Cæcil.

Orate pro nobis Sancti N. & N. vt
digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

Deus qui annua beatorum N. &
N. solemnitate latificas, da quæsu-
mus, vt quos veneramur officio, etiam
piæ conuersationis sequamur exem-
plo.

Idem.

Omnes Sancti tui quæsumus, Do-
mine, nos vbique adiuuent, vt dum
eorum Merita recolimus, patrocinia
sentiamus. Per Christum Domi-
num, &c.

Pro fidelibus Defunctis.

Ex Missa
Eccl. Ro-
mana.

Memento Domine famulorum fa-
mularumque tuarum, qui nos
præcesserunt cum signo Fidei, & dor-
miunt in somno pacis: Iphis Domine
& omnibus in Christo quiescentibus
locum refrigerij lucis & pacis, vt in-
dulgeas

dulgeas deprecamur. Per eundem
Christum, &c.

Precatio qua te Deo commendes.

EXaudi me Trinitas sancta, & con-
serua me ab omni malo: ab omni
scandalo: ab omni mortali Peccato:
ab omnibus insidijs et infestationibus
Demonum, et inimicorum visibilium
& inuisibilium.

B. Aug.
Cap. 40.
Medit.

Per { Orationes Patriarcharum:
Merita Prophetarum:
Suffragia Apostolorum:
Constantiam Martyrum:
Fidem Confessorum:
Castitatem Virginum:
Et per Intercessionem omnium
Sanctorum tuorum, qui tibi placue-
runt ab initio mundi.

*Animæ ad cælestem Hierusalem
ardens desiderium.*

MAter Hierusalem, ciuitas sancta
Dei, felix anima mea si intueri
meruero Gloriam tuam, pulchritudi-
nem tuam, Portas et muros & plateas
tuas,

B. Aug.
Cap. 25.
Medit.

tuas, & mansiones tuas multas, nobilissimos Ciues tuos, & fortissimum Regem tuum in decore suo.

Muri namq; tui ex lapidibus preciosis, Porta tuæ ex margaritis optimis. Platea tuæ ex auro purissimo, in quibus iocundum Alleluya sine intermissione canitur. Mansiones tuæ multæ, quadris lapidibus fundatæ, saphyris constructæ, laterculis coopertæ aureis, in quas nullus ingreditur nisi mundus, nullus habitat inquinatus.

Speciosa facta es & suavis in delicijs tuis mater Hierusalem. Nihil in te tale quale hîc patimur, qualia in hac misera vita cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diuersitas temporum. Non lucet in te Lux lucernæ, aut splendor lunæ, vel iubar stellarum.

Sed Deus de Deo, Lux de luce, Sol iustitiæ semper illuminat te. Agnus candidus, lucidum & pulcherrimū est lumen tuum. Sol tuus, & charitas tua,
&

& omne bonum tuum, huius pulcher-
rimi Regis indeficiens contemplatio.

Ipsa Rex Regum in medio tui, &
pueri eius in circuitu eius. Ibi hymni
dici angelorum Chori. Ibi societas su-
periorum civium. Ibi dulcis solemni-
tas omnium ab hac tristi peregrina-
tione ad tua gaudia redeuntium.

Ibi Prophetarum prouidus Chorus.
Ibi duodenus Apostolorum numerus.
Ibi innumerabilium Martyrum vi-
ctor exercitus. Ibi sanctorum Confes-
sorum sacer conventus. Ibi veri & per-
fecti Monachi. Ibi sanctae Mulieres,
quae voluptates seculi, & sexus infir-
mitatem vicerunt. Ibi Pueri & Puellae,
qui annos suos sanctis moribus tran-
scenderunt. Ibi sunt oves & agni, qui
iam Voluptatis laqueos euaserunt.

Exultant omnes in proprijs man-
sionibus, dispar est gloria singulorum:
sed communis est letitia omnium.
Plena et perfecta ibi regnat Charitas.
quia Deus ibi omnia in omnibus, quae
sine

sine fine vident, & semper videndo
in eius Amore ardent, amant, & lau-
dant, laudant & amant, Omne opus
eorum laus D E I, sine fine, sine defe-
ctione, sine labore.

Felix ego, & verè in perpetuum fe-
lix, si post resolutionem huius corpu-
sculi audire meruero illa Câtica Cœ-
lestis Melodiæ, quæ cantantur ad lau-
dem Regis æterni, ab illis supernæ Pa-
triæ Ciuibus, beatorumq; Spirituum
agminibus.

Fortunatus ego, nimiumq; beatus,
si ego ipse meruero cantare ea, & assi-
stere Regi meo, Deo meo, & Duci
meo, & cernere eum in Gloria sua, si-
cut ipse polliceri dignatus est dicens:

Pater, volo, vt quot dedisti mihi
sint mecum, vt videant Claritatem
meam, quam habui apud te ante con-
stitutionem mundi. Et alibi, Qui mihi
ministrat me sequatur, et vbi ego sum,
illic & minister meus erit. Et iterum:
Qui diligit me, diligetur à Patre meo,
& ego

& ego diligam eum & manifestabo ei
meipsum.

*Precatiuncula legenda absolutis cu-
iusq; diei precibus.*

Clementissime Domine Iesu, ego Simon
Verre-
paus.
precum mearum pensum, distra-
ctumq; ac tepidum seruitium meum
committo diuino cordi tuo corrigen-
dum, ipsumq; tibi offero, ad Nominis
tui gloriam, & totius Ecclesiae tuae sa-
lutem, Amen.

**Christianae Pietatis inci-
tamenta.**

Vigilate, & orate, nescitis enim quando
tempus sit. Marc. 13.

*Dum tempus habemus, operemur bo-
num. Gal. 6.*

*Omnis arbor quae non facit fructum bo-
num excidetur, & in ignem mittetur.
Matth. 3.*

*Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in
iustitia & timore, & prepara animam tuam
ad tentationem. Eccl. 2.*

O Nolite

Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. 1. Ioan. 2.

Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. 1. Cor. 3.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio &c. tollatur à vobis. Ephes. 4.

Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Ioan. 13.

Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. Corinth. 10.

Deus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à Deo. 1. Cor. 4.

sed seductus
con sumit Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, &c. huius vana est religio. Iac. 1.

Fasces, fasces.

PRECATIONES
FERIÆ VI.

213



Precatiuncula qua mentem oraturus præpares.

CLementissime Domine Iesu, tu me Simon Verre-
pæus. rege, ac posside, vt Preces meas debite ac deuote persoluam, ad nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem, Amen.

Supplex oratio Pœnitentis.

Conditor Cœli & Terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Ant. Her-
mertius
in Spe-
culo per-
fectiōis. qui me de nihilo fecisti, ad Imaginem & similitudinē tuam, qui me preciosissimo

O 2

fissimo

fissimo Sanguine tuo redemisti, quem
 ego Peccator non sum dignus nomi-
 nare, nec aduocare, nec corde cogita-
 re propter multitudinem Scelerum
 meorum. Obsecro te misericordissi-
 me Domine miserere mei: qui mulie-
 ri Chananæ & Magdalenæ Pecca-
 trici misertus es. Qui Publicanum &
 Latronem, ob vnius verbi confessio-
 nem, exaudisti.

Tibi mitissimo Patri prodigus &
 luxu perditus ego filius confiteor in-
 numerata Scelera mea, quibus te per to-
 tam Vitã meam sæpius offendi. Quæ
 etiam si vellem abscondere, tamen à
 facie tua non possem, quia tu scis om-
 nia, quæ cogitavi ab infantia mea vs-
 que in præsens.

O Pater Misericordiarum D E V S
 meus, tu scis quoties peccaui Su-
 perbia, Avaritia, Gula, Luxuria, Ira,
 Invidia, Acedia, Vana gloria, Visu,
 Gustu, Tactu, Auditu, Odoratu, Cor-
 de, Ore, Opere & Omissione, & om-
 nibus

nibus modis, quibus ego fragilis Peccator multis Peccatis obnoxius peccare potui, mea culpa, heu mea grauiſſima culpa.

Quamobrem precor tuam Bonitatem, qua de Cœlo pro mea Salute deſcendiſti, qua Dauidem Adulterio & Homicidio contaminatum erexiſti, qua Petrum te negantem reſpexiſti, ac in Fide nutantem cōfirmiſti, Parce mihi Domine, ignoſce mihi, ne permittas me perire ppter Peccata mea, quia tua Creatura ſum: ſeruus tuus & filius tuus ſum, tuo precioliſſimo ſanguine lotus & redemptus.

Recognoſce in me Imaginē tuam, quamuis Peccatis deturpatam. Nunquid me repelles qui Publicanos & Meretrices recipis? An ego ſolus excludar? An non & pro me Peccatore mortuus eſt Chriſtus? An nullæ amplius ſuperſunt Miſericordiæ?

Abſit à te Domine, qui idem es Deus, & non mutaris, & idem vnus es

Mediator Dei & hominum, homo
Christus Iesus permanens in æternum
& interpellans pro nobis, qui est pro-
pitiatio pro Peccatis nostris.

Hunc iam reconciliatū meum fa-
cio Aduocatum, quem interpellātem
tua Bonitas auersari poterit nūquam,
huius Vulnera, Sanguinem, Amarissi-
mam Mortem offero tibi pro vniuer-
sis Peccatis meis ? Amen.

Ad Filium salutis nostræ assertorem.

Ioā. Fab.
ex ca. 39.
Medit.

Domine Iesu Christe Fili Dei viui,
qui propter mortalium omnium
Redemptionem hausisti Calicē Pas-
sionis, mihi hodie præbere digneris
auxilium. Ecce pauper venio ad diui-
tem miser ad misericordem: fac ne re-
cedam vacuus vel cōtemptus. Fame-
licus & esuriens accedo, da qui es pa-
terfamiliās benignissimus, ne rece-
dam ieiunus, & impastus.

In primis dulcissime Iesu corā Ma-
gnificentiæ tuę Suauitatis cōfiteor ad-
uersum me Iniustitiam meam. Ecce
Domine

Domine in Peccatis sum cōceptus & natus: Sed tu me sanctissimo tuo Sanguine abluisti & sanctificasti. Ego vero maioribus me deinde Peccatis inquinavi, & in iisdem sordibus, ex quibus extractus eram me volutavi.

Hæc autem sunt mala mea Domine quibus Maiestatem tuam offendi, meq; ad Imaginem & similitudinem tuam creatum maculaui. Superbia, Vanæ gloriæ affectatio & Ambitio, Liuor, Odium, mundi huius amor & alia multa quibus laboro infelix. Hæ iniquitates meæ caput meum supergressæ sunt.

Sed tu es Deus, cuius proprium est misereri & parcere, nisi dexteram tuę Maiestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. Ah Domine, miserere filij tui, quem dolore non modico peperisti: & noli attendere malū meum, vt obliuiscaris bonum tuum: Quis est Pater qui Filium non liberet?

O 4

Ergo

Ergo Pater & Domine, licet Peccator sim, non possum non esse filius tuus: quia tu me fecisti & refecisti: redimens per Filium tuum: Peccaui, emenda me, sed flagello Misericordie tuae me castigatum, trade in gratiam Filij tui.

Nunquid obliuisci potest mater infantis, quem in utero suo gestauit? Et rectè si illam obliuisci contingeret, tu tamen ô Deus, te non posse obliuisci nobis promissisti.

O igitur Saluator optime, placare mihi obsecro, et miserere mei, ne auertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo, & ut me saluares, placidissimum tuum vultum etiam ab ijs, qui te increparunt, deriserunt, & conspuerunt, non auertisti.

Vt signo S. ✠ ab omni malo praeseruemur.

Alcuin⁹
Caroli
magni
Præceptor.

Domine Iesu Christe, qui obediens Patri usque ad Mortem, Mortem autem Crucis, liberaisti nos precioso tuo

tuo Sanguine, & in te credentibus cœlestis Gloriæ aditum reserasti.

Te verum Deum et Dominum nostrum sedentem ad dexteram Patris suppliciter exoro, vt per virtutem salutaris signi ✠ Crucis redimas me miserum & dignum morte Peccatorem ab omnibus meis criminibus, & liberares me ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris, & facias me quæ sursum sunt Cœlestia desiderare & quærere, & ad æternæ Beatitudinis gloriam fideliter peruenire. Qui cum Patre, &c.

Pro salutari vitæ præsentis exitu.

Obscuro te Domine Iesu Christe fili Dei viui, per sanctissima vulnera tua, quæ in Cruce pertulisti, vt dirigas sensus Cordis & Corporis mei in beneplacito tuo, vt nunquam valeam discedere de hac miserrima Vita, sine vera Pœnitentia, pura Confessione, digna Satisfactione, Catholica Fide,

Guil.
Harle-
mius Re-
ctor do-
m^o Hie.
Leodij.

O 5 sanctæ

sanctæ Eucharistiæ perceptione, & S.
Olei vnctione.

Da mihi per Intercessionem B. Ma-
riae semper Virginis, velle orare, opere
exercere, quæ tibi placeant, & mihi
expediant. Da mihi in omni tribula-
tione consilium rectum. De præteritis
in omni tempore veniam. De præsen-
tibus emendationem. De futuris quo-
que largire custodiam et felicem con-
seruationem, Viuis pacem, & Defun-
ctis requiem sempiternam. Qui viuis
& regnas, &c.

*Vt Christus Iudex seculi venturus
nostri miscreatur.*

Ioã. Fab.
ex ca. 39.
Medit.

FAteor, ô clemens et misericors Do-
mine, quod plurimum peccauerim
& cōscientia mea damnationem me-
retur. Pœnitentia autem non sufficit
ad satisfactionem: sed tua Misericor-
dia superat offensionem.

Noli quæso pijsime Domine scri-
bere aduersus me amaritudines meas,
vt intres in Iudiciũ cum seruo tuo, sed
secun-

secundum multitudinem Miserationum tuarum dele Iniquitatem meam.

Vae mihi misero, cum venerit dies Iudicij, et aperti fuerint libri Conscientiarum, & cum dicetur de me: Ecce homo, & Opera eius. Quid faciam tunc Domine Deus meus, cum Coeli reuelabunt Iniquitatem meam, & aduersum me terra consurget? Ecce ego nihil respondere potero, sed demisso capite praefusione coram te stabo trepidus & confusus.

Tu ergo miserere ne desperem: etsi ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti unde saluare soles & potes. Tu enim non vis Mortem Peccatorum, nec laetaris in perditione morientium. Immo ut mortui uiuerent, tu mortuus es, et mors tua peccatorum mortem occidit.

Mitte manum tuam de alto & libera me de manu Inimicorum meorum, ne supergaudeant mihi & insultent miseris meis, & dicant: Age iam deuorabi-

rabimus eum. Quis vnquam optime Iesu de tua Misericordia diffidat? qui cum Inimici tui essemus, redemisti nos in Sanguine tuo, & reconciliasti nos Deo.

Ecce sub tuæ Misericordiæ vmbra protectus, ad thronum glorię veniam postulans curro, nec clamare & pulsare desinam, donec tu miserearis mei. Si enim ad Veniam nos vocasti, veniam non quærentes, quanto magis veniam impetrabimus postulantes, & eam toto corde expetentes?

Oro te mitissime Iesu, sis propitius & Misericors in me Peccatorē, cum ad Iudicium venies. Fac vt in fine Vitæ meæ, & extremo die Meritum tuæ preciosæ Mortis mihi subueniat, meq; saluet, vt in Regno tuo te in omnem æuum celebrare possim, tibiq; gratias agam sempiternas, Amen.

Precatio petentis à Deo iustificari.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christia.

Qui in æternum dominaris, et solus potes omnia Deus, Coeli & terræ mo-

ta moderator, ad cuius nutum omnes
Creaturae contremiscunt, & Cœli car-
dines nutant. O Cœlestis Opifex & fi-
gule, ego miser de limo effectus, vel
potius limus sordidus, cum tremore
& trepidatione ad thronum tuæ Ma-
iestatis venio, agnosco & confiteor
meam imbecillitatem. Scio quod ni-
hil sum. Immo quod abominatio me-
ra, & horror existam coram tuo aspe-
ctu, si tua Gratia & Misericordia desti-
tuar. Sine te nihil boni cogito, sine te
nihil boni facio, sine te sum reptile
quoddam deperditum. Non possum
saluari sine te. In tua manu est omnis
mea Salus.

Ago tibi gratias ô Deus, vel propter
hoc, quod eam cognitionem mihi de-
deris, vt videam & agnoscã me nihil
esse vel posse absque te. Tu es figulus,
ego limus, qualem me esse vis, talem
potes effingere & formare. Si beatum
me reddis, ostendis Misericordiam
tuam & Gratiam: Sin conijcis in per-
ditio-

ditionem, demonstras Iustitiam, & suum exequeris, nec meum est cōtradicare, cur hoc, aut qua ratione facis: etenim cui tu bene vis, eius misereris. Hæc ego mecum reputo, ô Domine, & iudicia tua extimesco.

Cùm igitur omnis mea Incolumitas & Salus ex te pendeat, & in manu tua atq; potestate sita sit, cumque vniuerso mundo maxime placabilem & misericordem Deum te exhibueris, eumq; te esse re ipsa declararis, per hoc quod Filium tuum carissimū Iesum Christum innocentem, pro nobis noxijs mori, & nostra Peccata suo Sanguine in Cruce voluisti expiare. Cùm denique docueris nos in omni nostra perturbatione te inuocare, tuam Gratiā et Misericordiā efflagitare, quod daturus sis nobis omnia, quæ in nomine Filij tui sumus petaturi.

Venio ad te limus, vel massa lutea, ô clemens & cœlestis Figule, à te peto suppliciter, vt misericordia tua vtaris,
ex hac

ex hac licet indigna materia facias
 vasculum ad æternam Gloriam. Di-
 gneris etiam ex mera tua gratia ad Fi-
 dem veram, ad Spem solidam, ad ca-
 stum & sanctum Amorem Voluntatem
 meam permouere, vt per hæc tua Do-
 na iustificatus, integer, perfectus, bo-
 nus & sanctus, secundum tuum placi-
 tum in medio vitæ meæ, & in fine, tū
 in extremo die Iudicij inueniar.

O mitis Pater, concede mihi veniã
 omnium Peccatorum meorum, per
 Mortem Filij tui amantissimi I E S V
 Christi. Fac vt tibi vni placeam, tibi
 gratus sim filius & hæres. Adauge in
 me clementer Iustitiam qualemcum-
 que Diuinitus mihi datam & conces-
 sam, vt in ea pergam viuere.

Auge in me Fidem acceptam, Con-
 firma Spem meam, Accende & illu-
 striorem redde in me tui Amorem, vt
 auxilio, tuæq; Gratia præsentia, & ex
 operatione tuæ sanctissimæ Volun-
 tatis, Vitam æternam, quam tu solus
 merui-

meruisti, & nobis promisti, impetra-
re queam, vt te laudem, tibiq; gratias
agam in Regno tuo per æterna secu-
la, Amen.

Pro Aduersarijs & Inimicis.

Lod. Vi-
ues in
Precat.
genera-
libus.

I Vssisti mitissime pater nos te pro ijs
orare, qui nobis malè cupiūt, et qua-
tenus possunt malè faciūt. Idq; tu nō
Verbis solū, sed Factis etiam tuis san-
xisti ad imitationē nobis propositis.

Oramus te, vt Spiritū nobis infun-
das tuę Mansuetudinis, quo Inimico-
rum & malevolentiam et maledicen-
tiam & maleficia patiēter toleremus,
sicuti & fecisse te accepimus, & quo-
tidie facere animaduertimus.

Nec Opere reponamus Iniuriam,
nec verbis vltionem vsurpemus, nec
optemus Animo: vt verè Filij tui si-
mus, qui pluis super Iustos & Iniu-
stos, & qui Patrem pro Crucifixori-
bus exorasti in Cruce.

Ne perdas illos Domine propter
odiū nostri: sed serua potius propter
Preces

Preces nostras. Emendationem illorum cupimus Domine, non perditionem. Fac vt hic per Amorem mutuam coniuncti incipiamus concordem ingredi viam, quæ ducit ad Ciuitatem celestem, in qua perpetuò nobis inuicem fruamur in Caritate tua Amen.

Pro Hereticis, Iudæis, & Gentilibus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas Diabolica fraude deceptas: vt omni hæretica prauitate deposita, errantium corda respiciant, & ad Veritatis tuæ redeant vnitatem.

I.
Missale
Romanum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam à tua Misericordia non repellis, exaudi Preces nostras quas pro illius Populi occæcatione deferimus, vt agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, à suis tenebris eruantur.

II.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non vis Mortem Peccatorum, sed vi-

III.

P tam

tam sempiternā inquiris: suscipe propitius Orationem nostram, & libera paganos ab Idolorū cultura, et aggrega eos Ecclesiæ tuę sanctę ad Laudem & Gloriam Nominis tui. Per. &c.

Pro Ecclesia Catholica.

Math.
Sittar-
dus in
Precat.
Christ.

Domine Deus Pater Cœlestis, Pater Misericordiæ & omnis Consolationis, oramus te per Nomen unigeniti filij tui Domini nostri et Seruatoris Iesu Christi, respice de Cœlo & intuere calamitosam afflictionē, qua Ecclesia in his nouissimis et arumnosis tēporibus misere præmitur, deserta prorsus et desolata, nisi tu, ô misericors Pater, auxiliatricē manū admoueris.

Turcæ & Sectarij nos vndiq; præmunt & coarctant, illi immani quadam ac formidanda Tyrannide: hi fraudibus ac dolis malis: illi Corpus inuadunt, hi perdunt Animam.

Nos quidem omnes te grauius offendimus, & ad iracundiam prouocauimus. Præcepta tua contumaciter

ter

ter transgressi sumus, & per Inobedientiam nostram hæc tua in nos flagella merito prouocauimus. Verum enimuero recordare te Patrem esse, nec illis quos creasti & precioso unigeniti Filij tui Sanguine redemisti, irascere in perpetuum. Nec respicias Delicta nostra: sed eius Merita, vt participes eorum fieri valeamus. Custodi nos ab omni malo, & largire nobis spiritum emendationis, vt ad perfectum illud perpetuumque Regni tui Gaudium peruenire valeamus: quod vnà cū Spiritu sancto possides in omne æuum, Amen.

De Passione Domini.

O Domine Iesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, coronam spinream in capite portantem: Deprecor te, vt tua Crux liberet me ab angelo percutiente, Amen.

B. Gregorius
Magnus
Papa.

O Domine Iesu Christe, adoro te in Cruce vulneratum. Felle & aceto

P 2 pota-

potatum: Deprecor te vt vulnera tua
sint remedium animæ meæ, Amen.

O Domine Iesu Christe, rogo te
per illam amaritudinē Passionis tuæ,
quàm in hora mortis sustinuisti, ma-
xime tunc quando anima sanctissima
de benedicto tuo corpore est egressa:
Misere animæ meę in egressu tuo de
corpore meo, & perduc eam in vitam
æternam, Amen.

O Domine Iesu Christe, adoro te
in sepulchro positum, myrrha & aro-
matibus conditum: Deprecor te vt
tua mors sit vita mea, Amen.

O Domine Iesu Christe, adoro te
descendentem ad Inferos, & tuos in-
deliberantem captiuos: Deprecor te
vt illuc nunquam me patiaris introi-
re, Amen.

O Domine Iesu Christe, adoro te à
morte resurgentē, & in Cœlum ascen-
dentem, sedentemq; ad dexteram Pa-
tris: Deprecor te vt illuc te sequi, & ti-
bi præsentari merear, Amen.

O Do-

O Domine Iesu Christe, Pastor bone, iustos conserua, Peccatores iustificata, omnibus fidelibus miserere, et propitius esto mihi misero & indigno Peccatori, Amen.

Obsecro te Domine Iesu Christe, vt Passio tua sit virtus mea, qua muniar, protegar, & defendar.

Vulnera tua sint mihi cibus & potus, quibus inebrier & delecter.

Aspersio Sanguinis tui sit omnium Peccatorum meorum ablutio.

Mors tua sit mihi gloria sempiterna: In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis & animæ, nunc & in perpetuum, Amen.

Gratiarum actio.

EGO Filius ancillæ tuæ, iam his meis pauperulis confessionibus, confitear tibi Liberator meus, toto corde meo, et recolam ad mentem meam omnia bona quæ fecisti mihi à iuuentute mea in omni vita mea. Scio namq; q

B. Aug.
Cap. 18.
Soliloq.

Ingratitudo multū tibi displicet, quæ est radix totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans & vrens omne bonum, obstruēs fontem Diuinæ Misericordiæ tuæ super hominem.

Et ego Domine gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, Liberator meus, quoniā liberaſti me. Quoties iam me absorbuerat ille Draco, & tu Domine ab ore eius extraxiſti me? Quoties ego peccaui, & ipse paratus fuit deglutire me? sed tu Domine Deus meus defendiſti me. Cū contra te iniquè agebā, cū tua Mandata frangebam, ſtabat ipse paratus, vt me raperet ad Infernum, sed tu prohibebas. Ego te offendebam, & tu me defendebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas. A te recedebam, & Inimico meo me exhibebā, tu ipsum, ne me, acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu Dñe D E V S meus Beneficia conferebas, & ego miser non cognoſcebam.

Me enim multoties à faucibus Diaboli

boli liberaſti, de ore Leonis eripuisti,
& ab Inferno licet nescientem multis
vicibus reduxisti. Descendi vsque ad
portas Inferni, & ne illuc intrarem tu
me tenuisti. Appropinquabam vsque
ad portas Mortis, & ne me ipse cape-
rent, tu fecisti. De morte etiam corpo-
ris sapius eruiſti me, Saluator meus,
cum graues morbi tenerent me, cum
fui in Periculis multis per mare, per
terras, ab igne & gladio, & ab omni
periculo liberans, semper mihi astans,
& misericorditer saluans. Sciebas tu
quidem Domine, si tunc mors me oc-
cupasset, Infernus Animam meam
suscepisset & perpetuo danatus fuiſ-
sem. Sed tua misericordia & tua Gra-
tia praeuenit me, eripiens me de Mor-
te Corporis & de morte Animae, Do-
mine Deus meus.

Hæc & multa alia Beneficia tua
mihi exhibuisti, & ego eram cæcus, &
non cognoui donec illuminasti me.
Nunc igitur lux Animæ meæ, Domine

Deus meus, Vita mea, per quam viuo, lumen oculorum meorum per quod video, en illuminasti me, & cognosco te, quia viuo per te, & gratias ago tibi, licet viles & exiles & impares tuis Beneficijs, quales habet mea fragilitas offero. Confiteor tibi Beneficia tua magna, quoniam eripuisti me de Inferno inferiori semel, & secundo, & tertio, & ceteris, & millies, & ego semper tendebam ad Infernum, & tu me semper reducebas, & iuste millies dannasses me, si voluisses: noluisti, quia amas Animas & dissimulas peccata hominum propter Poenitentiam.

Domine Deus meus, multa misericordie in omnibus vijs tuis. Nunc ergo video hæc Domine Deus meus, & cognosco per lumē tuum, & deficit anima mea in Misericordia tua magna, quæ est super me, quoniam eripuisti animam meam ex Inferno inferiori, & me ad Vitā reduxisti. Tuum igitur sit totum id quod viuo, et totus totum
me

me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea viuat tibi vita mea dulcis, quoniam totū me liberaſti, vt totū me poſſideres. Totū me refeciſti, vt me totum rehaberes.

Diligam te igitur Dñe virtus mea, diligā te ineffabilis exultatio mea, & viuat iam non mihi, ſed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, reſuscitata eſt in Misericordia tua, quia es Deus miſericors & miſerator in millia his qui diligūt Nomen tuum.

Peccatorum coram Deo Confefſio.

Domine Deus meus miſericors ſuper omnia. Ecce ego coram te aſiſto calamitoſus, miſer, & indigens. Nihil ō Domine in carne mea habitat boni. Nocentiſſimi ſerpētes ſuis morſibus me infecerunt. Peccatorum virus totū corpus meum corrupit, & in animam penetrauit. Quidquid tibi placet, mihi non ſapit. Quod à me requiris, ego detrecto: Nihil ex me ipſo ſum, niſi Peccator miſerrimus.

Ioā. Fab.
in Prec.
Chriſtia.

P 5

Pro-

Propterea humiliato corde & contrito spiritu, ad Maiestatis tuæ solium accedo, & ad te ô clemens Domine ac Pater ex toto corde proclamo. Misere mei ô Deus, secundùm magnam Misericordiam tuam.

Inclina te Domine ad me, & ego me conuertam ad te. Ostende in me Bonitatem tuã, vt tibi in omne æuum gratias agam, Auxilium tuum Domine mihi præsto sit, & fortitudo tua me corroboret, vt Inimicum vincere & malignum Dæmona possim reprimere.

O mitissime Deus, condona mihi Peccata mea, gratiam largire & veniam delictis, vt deinceps viuam in iustitia & sanctitate, vt post vitæ meæ curriculum exactum inter eos inueniar, quos tua Maiestas in cœtũ suorum aggregabit, & pro summa Misericordia præmium æternæ Beatitudinis donabit, Amen.

Ad Sanctum præsentis diei.

Deus

DEUS qui animæ famuli tui sancti Simon
 N. æternæ Beatitudinis præmia cō- Verre-
 tulisti, concede propitius, vt cuius ho- paus.
 die memoriam religiose colimus, eius
 quoq; viuendi exemplum imitemur:
 & precibus eiusdem ac Meritis, æter-
 nitatis gloriam consequamur. Per
 Christum Dominum. &c.

Sancta Maria & omnes Sancti in- Precatio
 tercedant pro nobis ad Dominum, vt Eccles.
 nos mereamur ab eo adiuuari & sal- Rom.
 uari, Qui viuit & regnat in sæcula sæ-
 culorum, Amen.

*Ad duos vel plures presentis
 diei Sanctos.*

ORate pro nobis Sancti N. & N. vt
 digni efficiamur promissionibus
 Christi. *Oremus.*

Deus qui annua beatorum N. et N. Breuia.
 solemnitate lætificas, da quæsumus, vt Rom. ad
 quos veneramur officio etiam piæ cō- S. Cæcil.
 uersationis sequamur exemplo.

Omnes Sancti tui quæsumus, Do- Idem.
 mine, nos vbiq; adiuuent, vt dum co-
 lum

rum merita recolimus, patrocina sentiamus. Per Christum Dominū, &c.

Pro fidelibus Defunctis.

Ex Miſſa
Eccl. Æ-
thiopicæ

Memento Domine dormientium Principum, Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum & Ministrorum tuorum.

Parentum nostrorum & omnium in recta Fide quiescentium. Et imple nos timore Nominis tui, & dirige nos facere Voluntatem tuam.

Sit tibi gloria & honor, quia tu solus eis dignus es in secula seculorum, Amen.

Precatio qua te Deo commendes.

B. Aug.
Cap. 40.
Medit.

Domine Deus omnipotens, tibi cōmendo hodie, & in omni tempore Animā meam: Corpus meum: visum, auditum, gustum, odoratum, & tactū: Omnes cogitationes, affectiones, Locutiones, Actiones: Omnia exteriora et interiora: Sensum, intellectū, memoriam, fidem, credulitatem, & perseuerantiam

rantiam meam, in manus potentiae
tuae, vt custodias ea diebus ac nocti-
bus, horis atq; momentis.

*Meditatio de Laboribus pro Regno Caelorū
expetendis, cum Precatione vt ipsa Cae-
lestis Hierusalem pro te oret.*

○ Anima mea, si quotidie oporteret
nos tormenta perferre: Si ipsam
Gehennam longo tempore tolerare,
vt Christum in Gloria sua videre pos-
semus, & Sanctis eius sociari: Nonne
dignum esset pati omne quod triste
est, vt tanti boni tantæq; Gloriam parti-
cipes haberemur?

B. Aug.
Cap. 15.
Manua-
lis.

Insidientur ergo Dæmones, parent
suas tentationes: Frangant Corpus ie-
iunia, Premant carnem vestimenta,
Labores grauent, Vigiliæ exiccent,
Clamet in me iste, Inquietet me ille
vel ille, Frigus incuruet, Conscientia
murmuret, Calor urat, Caput doleat,
Pectus ardeat, Infletur stomachus,
Pallefcatur vultus, Infirmitur totū cor-
pus, Deficiat in dolore vita mea, &
anni

anni mei in gemitibus, Ingrediatur
putredo in ossibus meis & iubter me
scateat vt requiescam in die Tribula-
tionis, & ascendam ad Populum ac-
cinctum nostrum.

Quæ enim erit Iustorum Gloria,
quam grandis lætitia, cum vnaquæq;
facies fulgebit vt Sol, cum ordinibus
distinctis populum suum Dominus
in Regno Patris sui cœperit recense-
re, & Meritis atq; Operibus singulo-
rum promissa præmia restituet?

Pro terrenis Cœlestia, pro tempo-
ralibus sempiterna, pro modicis ma-
gna. Reuera cumulus felicitatis erit,
cùm Dominus adducet Sanctos in vi-
sionem Paternæ Gloriæ, & faciet in
Cœlestibus confedere, vt sis Deus om-
nia in omnibus.

O felix iucunditas & iucunda feli-
citas, Sanctos videre, cum Sanctis esse,
& esse Sanctū! Deum videre, & Deum
habere in æternum & ultra.

O Domus Dei luminosa & specio-
sa,

sa, dilexi decorem tuum & locum habitationis gloriae Domini mei, possessoris & fabricatoris tui. Tibi suspiret Peregrinatio mea nocte ac die. Tibi inhiat cor meum, Tibi intendat mens mea. Ad societatem Beatitudinis tuae peruenire desideret Anima mea.

Idem
Cap. 20.
Medit.

Dico ei qui fecit te, vt possideat me in te, quia ipse fecit me & te. Immo tu dic, tu roga eum, vt dignum me faciat participatione Gloriae tuae. Sanctam enim Societatem tuam & mirabilem pulchritudinem tuam, non per Merita requiro: sed per Sanguinem eius, quo redemptus sum adipisci non despero: Tantum adiuuent me Merita tua: Subueniant prauitati meae, sanctae & purissimae Orationes tuae, quae inefficaces apud Deum nullatenus esse possunt.

Erraui, fateor, sicut ouis perdita, & incolatus meus prolongatus est, atq; procul proiectus sum à facie Domini, in hanc exilij caecitatē, vbi expulsus à

Para;

Paradisi gaudijs deploro quotidie
 mecum super miserias Captiuitatis
 meæ lugubre carmen, ingentesque la-
 mentationes, cùm recordor tui ma-
 ter Hierusalem, dum stant pedes mei
 in atrijs tuis sancta & decora Sion.
 Necdum interiora tua conspicerem in
 propatulo valens: sed in humeris Pa-
 storis mei, structoris tui, spero me re-
 portari tibi, vt tripudiem tecum in il-
 lo enarrabili gaudio, quo lætantur illi,
 qui tecum sunt coram ipso Deo &
 Salvatore nostro, qui dissoluit inimi-
 citias in Carne sua, & pacificauit om-
 nia, quæ in Cœlis sunt & quæ in terra.
 Sanguine suo.

Ipse enim est Pax nostra, qui fecit
 vtraque vnum, qui duos ex aduerso
 venientes parietes coniungens, in se
 Beatitudinis tuæ permanentem Feli-
 citatem, pari modo, & eadem men-
 sura se nobis daturum promisit, di-
 cens: Erunt æquales Angelis DEI in
 Cœlis.

O Hie-

O Hierusalem Domus Dei æterna,
post Christi dilectionem tu esto Lati-
tia & consolatio mea. Dulcis memo-
ria tui beati nominis sit releuatio mœ-
roris, tædiorumq; meorum.

*Precatiuncula legenda absolutis cu-
iusq; diei precibus.*

Clementissime Domine Iesu, ego ^{Simon}
precum mearum pensum, diltra ^{Verre-}
tumq; ac tepidum seruitium meum ^{pæus.}
committo diuino cordi tuo corrigen-
dum, ipsumq; tibi offero, ad Nominis
tui gloriam, & totius Ecclesie tuæ sa-
lutem, Amen.

Christianæ Pietatis inci- tamenta.

Estote parati, quia nescitis qua hora fi-
lius hominis venturus est. Matt. 24.

Ecce venio cito, & Merces mea mecum
est, reddere unicuiq; secundum Opera sua.
Apoc. 22.

Nescitis quia templum Dei estis, & spi-
ritus Dei habitat in vobis? 1. Cor. 3.

Q Siquis

Siquis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Ibidem.

Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis. Iac. 1.

Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite. Iac. 1.

Fidelis est Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis. 1. Cor. 10.

Quem diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Heb. 12.

Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2. Tim. 3.

Per multas tribulationes oportet nos intrare Regnum Dei. Act. 14.

Sicut Socij Passionum estis, sic eritis et Consolationis. 2. Cor. 1.

Antidotum vite Patientia.

PRE.

PRECATIONES 243
DIEI SABBATHI.



Precauincula qua mentem oraturus præpares.

Clementissime Domine Iesu, tu me Simon
rege, ac posside, vt Preces meas de- Verre-
bite ac deuote persoluam, ad nomi- pæus.
nis tui gloriam, & animæ meæ salu-
tem, Amen.

Supplex oratio Pœnitentis.

HEi mihi, infelix Anima, in tantis Nic. Sali-
Peccatis quid primum plorem? cetus in
quid primum plangam? quos luctus Antido-
prius, quas lachrymas sumam? Vbi es tario A-
mœroris vnda? vbi estis lamenta? O la- nimæ.
chrymæ

chrymæ vbi vos seduxistis? Redite obsecro, fluite super faciem meam: humectate maxillas meas, genas irrigate, Peccaui enim crudeliter, cecidi grauiiter, corruui miserabiliter.

Vt bene viuerem, vltro promisi: quod sum pollicitus nunquam seruaui, semper ad Peccatum meum redij, nunquam in melius mores mutauit: Ego multis causa malorum fui: propter me multorum propositum maculatum est. Quid faciam cum venerit tremendi formido Iudicij? Cum examen Iudicij venerit, quid respondeam?

Flete me Cœlum & Terra, Luge me omnis Creatura, Plorate me omnia Elementa, Orate pro me ad Dominum viri sancti, Obsecrate pro me plebs omnis Sanctorum: si forte recipiat me Deus, si forte deleat Peccatum meum, si forte mihi præstet Misericordiam.

Vbi es ô custos hominum? cur me
spre-

ſpreuiſti? cur à me faciem tuam auer-
 tiſti? Vt quid longè factus es à me Cō-
 ſolator Animæ meæ? Reuertere iam
 Deus meus, non me obliuiſcaris in fi-
 nem, non me in perpetuum deſeras,
 non me ad perdendum in poteſtate
 Dæmonum derelinquas.

Licet offenſus ſis grauiter, tu tamen
 clemens, pius, & multæ Miſerationis
 nullum relinquis, nullam recuſas ani-
 mam: ſed vltro ferens Clementiam,
 peccantes expectas vt redeant. Quanti
 ſcelerati, quanti luxurijs dediti, con-
 cupiſcentijs ſaginati, Bonitate tua ad
 Indulgentiam peruenerunt?

Oſtende et in me Clementiã tuam:
 pateat mihi venia, pateat indulgentia,
 non abneges vni quod plurimis con-
 tulisti. Scelera mea non defendo, Pec-
 cata mea nō vendito. Diſplicet mihi
 quod feci, diſplicet quod peccaui, er-
 rorem confiteor, culpam cognoſco,
 vocem Confessionis aperio.

Suscipe quaſo vocem confitentis,
 Q 3 attende

attende vocem precantis, audi vocem
Peccatoris clamantis: Peccaui Deus.
Miserere mei, peccaui Deus, indulge
Sceleribus meis, dele culpas meas gra-
tia tua. Si enim Iniquitates recorda-
beris, quis sustineat?

Ad examen tuū nec iustitia secura
est. Quis enim iustus, qui se dicere au-
deat sine Peccato esse? Quis præsumat
coram te aliquid de iustitia? Nullus
enim est mundus in cōspectu tuo. Ec-
ce inter Sanctos nemo est immacula-
tus. Ecce qui seruiūt ei sunt instabiles,
& in Angelis reperta est prauitas.

Stellæ non sunt mundæ coram te,
Cœli nō sunt mundi in cōspectu tuo:
quanto magis ego abominabilis &
putredo, & fimus hominis, vermis &
non homo, qui hausi quasi gurges
Peccatum, & bibi quasi aquas Iniqui-
tatem, qui habito in domo lutea, qui
terrenum habeo fundamentum?

Memento Domine quæ sit mea
Substantia? Memento quia terra sum.
Operi

Operi manuum tuarum porrige Dexteram, Consule infirmæ materiae, succurre carnali fragilitati. Infirmæ conditioni pateat regressus Salutis. Pateant aures tuæ Misericordiæ indignis Supplicationibus meis: Sana Domine Vulnera mea: solue priusquã moriar meorum vincula Peccatorũ, Amen.

Ad Spiritum sanctum Paracletum.

O Diuini Amor Numinis Patris Ioã. Fab. ex cap. 9. Medit.
 Omnipotentis, Prolisq; beatissimæ sancta communio paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime. Tu cordis mei penetralibus potenti illabere virtute: tenebrosa pectoris neglecti latibula corusci tui luminis fulgore irradias, et lætifica: Tui roris abundãtia longo ariditatis marcentia squallore visitando fœcunda.

Tange et faucia cor meum Amoris tui iaculo, torpêtes medullas flamma tua Salutari penetrans succende. Intima mentis meæ sancto feruoris tui

Q 4 igne

igne illustra, Pota me torrente Voluptatis tuæ, vt mundanam dulcedinem, quæ venenata est degustare amplius non libeat. Doce me facere Voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

O alme Spiritus, ô præclare artifex, quæcunq; inhabitas, in eo Patris patris ac Filij domicilium condis.

Veni ergo benignissime dolentis animæ meæ consolator, in omni tribulatione me protege.

Veni mundator Scelerum, Curator Vulnerum,

Veni fortitudo fragilium, & doctor humilium,

Veni orphanorum pius Pater, Viduarum dulcis Iudex.

Veni spes pauperum, refocillator deficientium.

Veni pulcherrimum sidus nauigantium, & portus naufragorum.

Veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica Salus.

Veni sanctissime Spiritus, Veni & mise.

miserere mei. Apta & accommoda me tibi, et condescende propitius mihi, ut mea tuae Magnitudini exiguitas, rigoriq; tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complacereat Miserationum. Per Iesum Christum Salvatorem nostrum, Amen.

Precationes III. ad B. Virg. Deiparam.

I.

AVdi Filia Davidis & Abrahamæ et inclina aurem tuam ad Preces nostras, & ne obliuiscaris Populi tui, neque nostri, qui sumus de Familia & de domo Patris tui.

Athan.
Sem. de
B. Virg.

Ad te cõfugi Salutis indigens sancta Deipara, Peccatorum meorum agnoscens multitudines. Visita agrotantem Animam meam, & pete à Filio tuo donari mihi modo malorum, quæ feci, remissionem.

Dama-
scenus
in fine
suorum
operum.

Virgo pijsima, cogita quia non ad dammandum, sed ad saluandum Peccatores Conditor noster ex te factus est homo: Tibi ergo nos commenda-

Ansel de
excellēt.
B. Virg.

Q 5 mus,

mus, tu procura ne pereamus: Effice potius, vt Salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, vita nostra iugi deuotione famuletur.

II.

Bernhar.
Serm. 1.
super Sal
ue Re-
gina.

Salue Regina Misericordiæ, Domina Mundi, Regina Cœlorū, Virgo Virginum, Speculum totius integritatis. Sit Pietatis tuæ, ipsam, quam apud Deum, gratiam inuenisti, notā facere Mūdo, Reis veniam, Medelam ægris, Pusillis corde robur, Afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium obtinendo sanctis tuis Precibus.

Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inuentrix Gratia, genitrix vitæ, mater Salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud te integritas tua, culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata, nostra veniam impetret vanitatis.

Copiosa Charitas tua nostrorum,
coope-

cooperiat multitudinem Peccatorum
& fecunditas tua gloriosa, fecundi-
tatem nobis conferat meritorum.

III.

O Maria virgo, Dei genitrix glorio-
sa, quis tibi dignè valeat iura gra-
tiarum ac laudis preconia rependere,
quæ mundo succurristi perditio? quas
tibi laudes fragilitas humani generis
persoluet, quæ aditum recuperandi vi-
tam inuenis?

B. Aug.
Serm. de
Annunc.
& Assum-
ptione
B. Virg.

Accipe igitur quascunque exiles,
quascunque impares tuis meritis gra-
tiarum actiones, et cum susceperis vo-
ta, culpas nostras orando excusa. Im-
petra quod rogamus, & excusa quod
timemus, quia nec potiozem meritis
inuenimus, quàm te, ad placandum
iram Iudicis, quæ meruisti esse mater
Redemptoris & Iudicis.

Succurre ergo miseris, iuua pusil-
lanimes, refoue flebiles, ora pro popu-
lo, interueni pro clero, exora pro de-
uoto femineo sexu, Sentiant omnes
tuum

tuum iuuamen, quicumq; deuotè celebrant tuum nomè: Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis: Et cùm te lætantes aspicias, fletus nostros quæsumus apud Deum admittas. Nos enim in terra hac affligimur, iniurijs lacepsimur, opprobrijs afficimur, esurimus, sitimus, somnum patimur, in carcere retinemur.

Tu vero in cœlestibus prælata es cunctis Virginum choris, tu agnum, quocunq; perrexerit, sequeris. Tu virgineos choros à nocentiæ carnis illecebris alienos, per albentia lilia, rosasque vernantes, ad fontes perennes potandos inuitas.

Tu inter Paradisi amœnitatem violas carpis immarcescibiles. Tu summis Angelis Archangelisq; sociata, indefessa voce Sanctus clamare non cessas. Tu in cubiculo Regis Beatitudinum gemmis ac margaritis ornata assistis. Teq; ipse Rex Regum vt Ma-

trem

trem veram & decoram Sponsam diligens sibi sociat.

Has ergo felicitates possidens, conuertere ad nostrarum miseriarum salutem: Sint tibi studia assidue orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta ferre redemptorem mundi, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Prec. III. ad omnes Sanctos.

I.

Sancta & immaculata Virgo Dei Genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum.

Ioã. Fab.
ex ca. 40.
Medit.
B. Augo.

Sancte Michaël, sancte Gabriël, sancte Raphaël, sancti Chori Angelorū, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euāgelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum, Virginum, omniumq; Iustorum.

Per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare

gare præsumo, vt pro me culpabili, ipsi Deo supplicare dignemini, vt de faucibus Diaboli, & de Morte perpetua possim liberari.

II.

La. Iusti.
Cap. vlt.
de Obedientia.

O Triumphantium cum Christo Ecclesia Sanctorum, sine ruga & macula, quantas debes actiones gratiarum Deo persolvere, qui te de hoc seculo nequam gratis eripiens, fecit te dignam se, vt illius Gloriam reuelata cõtempleris facie: illum ex toto affectu diligas, ipsiusq; diuinitatis Maiestatem, quam diu est laudando glorifices, honores, & colas, atq; de eo eterna fruitione læteris.

Quamobrem in tanta felicitatis profusione locata, queso memor sis nostri, qui adhuc peregrinamur in via, incerti vtrum peruenire mereamur ad Patriam.

Preces cõtinuas porrige pro nobis ad eum quem laudas, vt et nos tuo digni quãdoq; habeamur cõsortio, persolua-

soluamusq; debitum sacrificium laudis, in cōspectu summi et veri Dei, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine Testamenti aeterni Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorū, Amen.

III.

Felices Sancti Dei, qui iam pertransistis turbulentum pelagus huius Mortalitatē et peruenistis ad portum perpetuæ Quietis, Securitatē, & Pacis, atq; iam fieri meruistis confortes Cœlestium Virtutum.

Ioan.
Cass. ex
Medit.
S. Aug.

Securi estis de vobis, solliciti estote de nobis, per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius cōtemplatione iam gaudetis, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate, atq; incōmutabilitate, immortales atq; incōmutabiles facti estis. Estote memores nostri miserorum, qui adhuc in falo huius Vitæ circumstantibus percellimur vadis.

Inter-

Intercedite & orate pro nobis miseris, multumq; negligentibus Peccatoribus constanter & indefinenter, vt vestrarum vlnis Orationum ad Deum nostrum portemur. Sumus namq; fragiles & nullius virtutis homunciones, ventris animalia, & carnis mancipia: Vos autē portæ fortissimæ in magnā porrectæ altitudinē, adiuuate nos vile pavimentum longè inferius iacens.

Nauigamus enim sicut nostis per hoc mare magnum, & spatiosum, vbi sunt reptilia, quorū non est numerus, animalia pusilla cum magnis: Vbi cetus magnus deuorare trāseuntēs semper paratus, vbi loca periculosa, Scylla, & Charybdis, & alia nonnulla, in quibus incauti & in Fide dubij patiūtur naufragia. In omnibus itaq; vestro indigemus auxilio. Ligno quidem ferimur & per Crucē Domini ad Portum transire speramus: fugiant partes aduersæ viso Christi signo.

Orate Domini Patres et dulcissimi
Senio-

Seniores, omnia agmina Cœlestis Patriæ, vt vestris Meritis, vestrisq; sanctis Orationibus, salua naue, & integris mercibus, securum perpetuæ Gloriæ portum, valeamus feliciter introire, vbi vos estis, vbi vos gaudetis, vbi cū Deo sine fine regnatis.

Precatio Dei Bonitatem & Ingratitudinem suam agnoscentis.

O Deus donorum omnium pijsi-
me distributor qui aperis manum
tuam & imples omne animal benedi-
ctione & gratia.

En agnosco multam abs te Gra-
tiam me percepisse, per quam Bonita-
tem tuā mirificè in me declarasti: At-
qui per negligentiam meam peior in-
de effectus sum, quam si ea non essem
consecutus.

Atq; vrinam Beneficia tua melius
& studiosius expendissem: multum
ea certè, tum ad cognoscendum, tum
amandum, tum colendum, tibiq; fa-
mulandum me incitassent.

R

O quo-

Floren.
Harlem.
ca. 9. li. 2
Institu-
tionis
vitæ
Christ.

O quoties, Pater amantissime, vo-
cem tuam foris & intus clamantem
audiui: Reuertere, reuertere, desine
iniquum tuum propositum: nec ta-
men auscultare volui.

O quoties notabiliter sensi admo-
nitionem tuam ad Virtutem me exci-
tantem, nec illi acquiescere volui.

Occlusisti mihi viâ Iniquitatū mea-
rum, cordis mei subtraxisti oblecta-
menta & appetitiones malas: sed ipse
minimè intellexi. Corripuisti me: &
nihil pependi: minatus es, imo & per-
cussisti: at non sensi, neq; curavi.

O quoties me ex varijs & innume-
ris animæ Corporisq; periculis extra-
xisti, me tamen nullam tibi reddente
gratiarum actionem? O quam crebrò
illuminasti tenebras cordis mei? Quo-
ties aberrantem me ad rectam redu-
xisti viam?

Quoties iam lapsum erexisti: subsi-
stere volentem propulisti? ex torpore
& ignauia vel infirmitate tepidè pro-
ceden-

cedentem attraxisti? ab impedio currente manum tuam interim retraxisti, cadere vel tepescere me permittens, uti ne in progressu meo, vana me complacentia aut inanis gloria titillaret.

Hæc inquam Charismata & Gratiā tuā Deus Pater pijsime sæpius ac multipliciter percepi: sed exiguas egi gratias.

At nūc obsecro aperi oculos meos, ut dona tua melius cognoscam, et iisdem rectius utar, quam hætenus feci.

Amoris tui scintillas ita in me excita & accende, ut carnalia & caduca omnia penitus me nō afficiant. Et ex cognitione donorum tuorum & Gratiæ tuæ, semper ex animo gratias tibi agam, semper magisq; tibi seruiendi desiderio inardescam.

Pro Ecclesia Catholica.

OMnipotens Deus ac Pater misericors, qui etiam filios tuos propter Peccata, Morbis, Fame, Bello, & omnigenis

Pet. Canisius li. Catholica Prec.

R 2

nigenis

nigenis afflictionibus castigas ac flagellas : miserere nostri pro Paterna nostra benignitate, qui magnis nefandisq; Peccatis nostris castigationem commeruimus.

Conuerte cor nostrum ad veram Pœnitentiam, libera afflictos Christianos ab omni Tribulatione & Angustia. Repelle Christiani Sanguinis sitientem Turcam, & omnes Ecclesiæ Inimicos, Custodi & serua nos in Corporis & Animæ bonis, vt immense Miserationis tuæ erecti solatio, in Catholica fidei, pacis, ac tranquillitatis vnanimi consensu, te verum, æternum Deum, laudare, colere ac venerari valeamus. Per Iesum Christum Dominum, &c.

Pro ijs qui aberrant ab Eccl. Cathol.

Ioã. Fab.
in Prec.
Christ,

OMnipotens, misericors, benigne Deus ac Pater, te humiliter ex toto corde oramus, vt eos qui ab orthodoxa Catholica & vera Fide recesserunt, aut alioqui in articulis, quibus hallu-

hallucinantur, errant, & falsa persuasione impliciti aut seducti sunt, paternè visites, numinis tui radijs corda ipsorū illustres, ipsosq; reuoces ac reducas ad erroris sui agnitionem.

Ut sic reuersi, vnicam, verā, Catholicam et Christianam fidem cum vniuersa Ecclesia & cōmunionē ad ipsorum Salutem perpetuò retineant, ore profiteātur, & factis ipsis demōstrent, vt te vnum Pastore vnanimes in vno ouili audiamus, & sequamur. Per Iesum Christum Salvatorem. Amen.

Pro Pœnitentibus & Resipiscentibus.

OMnipotens æterne Deus, cunctorum Domine, Creator & Gubernator vniuersi. Qui hominē in mundo ornatum posuisti per Christum, & dedisti ei legem Naturalem & scriptam, vt viuendi normam haberet, vti rationis compos. Et si in aliquo peccaret, fundamentum Pœnitentiæ tradidisti ei Bonitatem tuam.

Respice super inclinantes tibi colla

R 3

Animæ

Clemēs
Ro. Pōr.
Cap. 12.
lib. 8.
Const.
Apostol.

Animæ & Corporis, quoniam tu non vis mortem Peccatoris, sed Pœnitentiam, vt reuertatur à via sua mala & viuat. Qui Niniuitarum pœnitentiam admisisti. Qui vis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui filium, qui suas facultates luxuriosè consumpserat, paterno affectu recepisti per Pœnitentiam.

Respice nūc quoq; supplicantium tibi Pœnitentiam, quoniam nō est qui non peccet in te. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quoniam apud te est redemptio, & reduc eos in sanctā tuam Ecclesiam, restituta illis priore dignitate & honore. Per Christum Deum & Saluatorem nostrum, per quem tibi Gloria & Adoratio in sancto Spiritu in secula. Amen.

De Passione Domini.

S. Anselmus in Speculo
Domine Deus Redemptor meus,
 ad te, quibus possum desiderijs suspiro. Ad tuæ Passionis gloriosa Insignia

gnia totum me inclino. Tuæ victorio- Euange-
lici Ser-
mon.
sæ Crucis regale vexillum in nomine
tuo Christe adoro.

Tuum spineum Diadema, tuo ru-
bentes sanguine clauos: tuo sancto la-
teri impellam Lanceam, tua Vulne-
ra, tuum Sanguinem, tuam Mortem,
tuam Sepulturam, tuam victoriosam
Resurrectionem & Glorificationem
Christe supplex adoro & glorifico.

Horum virtute ab astutijs Satanæ
me custodi, meq; conforta, vt & iugū
Mandatorum tuorū suaue mihi fiat,
& onus Crucis, quod post te baiulare
me iubes, humeris Animæ meæ leue
sit atq; portabile.

Gratiarum actio.

Collaudat te Anima mea, ô Deus, Ioan.
Ross.
Psal. 15.
in libel-
lo Prec.
& omnia quæ intra me sunt No-
men sanctum tuum. Gratiâs tibi agit
Anima, & nunquam tradâ obliuioni
vniuersa tua beneficia. Qui propitiâris
omnibus meis delictis, et sanas omnes
infirmittates meas. Qui redemisti de

R 4 Morte

Morte Vitam meam, ostendens in me
Gratiam & Misericordiam tuam.

Multiplicasti in me magnitudinem
tuam, & post iram tuam conuersus,
consolatus es me. Ostendisti mihi tri-
bulationes multas & malas: sed tan-
dem de profundis abyssi reduxisti
me. Notas mihi fecisti vias tuas, non
abscondisti à me consilia tua.

Misericors & plenus es Gratia Do-
mine Deus, tardus ad iram, et propen-
sus ad Bonitatem: Non irasceris in
perpetuum, neq; in æternum retines
in ira Miserationes tuas. Non reddis
nobis iuxta Peccata nostra, nec punis
nos iuxta Iniquitates nostras.

Sicut miseretur Pater suis liberis,
ita super nos misertus es tu Domine
Deus noster. Non oblitus es Plasma-
tis, recordaris quod Caro sumus om-
nis homo viuens: quodque ætas mor-
taliū tanquam fœnum est, ac instar
florum agri se habet: quos protinus vt
austerior ventus flabris suis vexaue-
rit,

rit, nulli sunt, neq; loci eorum ultra in-
ueniuntur.

Misericordia aut tua Domine per-
petua est super timentes te, & iustitia
tua semper perseverat, dummodo ser-
uetur fœdus tuum, et mandatorum tuo-
rum memores simus, ut ea faciamus.

Exaltabo te, ô Deus, & nomen tuum
in aeternum laudabo, & in seculum se-
culi. Omni tempore gratias tibi agam,
& Nomen tuum illustre reddam in
perpetuum & si quid ultra est. Quo-
niam omnibus bonus es tu, & Miseri-
cordia tua super uniuersa Opera tua.

Oculi omnium te expectant, ut des
eis cibum suum in tempore, Aperis ma-
num tuam, & imples omne quod uiuit
refectione: Custodis omnes te diligen-
tes, & non tanget eos tormentum ma-
litiae. Laudem tui loquetur os meum,
& omne uiuens celebret Nomen tuum
sanctum in perpetuum & semper.

Laudate Dominum ô Angeli eius,
potentes virtute, facientes iussus eius,

R 5 obe-

obedientes voci verbi illius. Collaudet Deum vniuersi exercitus eius. Qui facitis voluntatem eius, magnificate Dominum meum & exaltemus Nomen eius in idipsum.

Laudate Dominum omnes Sancti eius, cuius solius nomen sublime est, cuius laus Coelos ac terram superat, Collaudate Dominum vniuersa Opera eius, in omni loco Imperij eius. Omne quod viuit laudet te Domine. Amen.

| Peccatorum coram Deo Confessio.

L. Blossi
in Cime
liarchio
Precula-
rum.

Eheu dulcis Iesu, ego per omne tempus vitæ meæ grauitè te offendi, tibi ingratus esse nūquam destiti: gratiam tuam multis modis impediens, & veteribus Delictis noua semper cumulans: Fateor, indignus sum filij nomine, veruntamen te Patrem meum esse agnosco. Tu es verus Pater meus, tu es tota fiducia mea, tu es fons Misericordiæ, qui sordidos confugientes ad te non repellis, sed abluis.

Ecce o suauè refugium meum, ecce
ego

ego omnium Creaturarum tuarum
peripsema venio ad te, nihil mecum
afferens præter Peccatorum sarcinas.
Humiliter procido ad pedes Pietatis
tuæ, humiliter imploro tuam Miseri-
cordiam. Ignosce mihi obsecro ô spes
mea certissima, & salva me propter
Nomen tuum.

Dulcis Iesu, ego in remissionem
omnium peccatorum meorum offero
tibi stupendam illam charitatem, qua
tu Deus æternæ Maiestatis, pro nobis
non dedignatus es homo passibilis
fieri, & plus quàm triginta annis inter
multiplices labores, ærumnas atque
persecutiones fatigari.

Offero sanguineum illū sudorem,
illum mœrorem, illas angustias, qui-
bus in horto afflictus fuisti, quando
patrem fixis in terra genibus orabas.

Offero vincula, verbera, conuitia,
alapas, colaphos, sputa, atq; alia gene-
ra iniuriarū, quas in Annæ & Caiphæ
domo per totam noctem passus fuisti.

Offero

Offero inauditam illā ignominiam,
quā sustinuiti, quādo celsus, cōsputus,
ac vinctus mane ducebaris ad Pilatū.

Offero pœnam acerbissimā quam
es perpeffus, quando ad columnam li-
gatus, dirè flagellabaris.

Offero ineffabilem patientiā, quam
exhibuisti, quando spinis coronaba-
ris, alapis & arundine cedebaris.

Offero humilitatē illam, quā exhi-
buiti quādo ante Tribunal statueba-
ris, quando iniustè dānabaris, demūq;
ad Caluarix locū Crucem propriam
baiulans ignominiose trahebaris.

Offero dolendā sacratissimi Cor-
poris tui fatigationem, atq; humero-
rum tuorū grauiſsimam pressuram.

Offero sudores, & sitim, & cætera
omnia quæ tunc mea causa prom-
ptissimo corde pertulisti.

Offero tibi atrocissimos illos dolo-
res, quos passus es, quando manus &
pedes Cruci affigebantur: quando
membrorum tuorum compages sol-
ueban-

uebantur: quando preciosus Sanguis
tuus velut è fontibus largiter pro-
fluens fundebatur.

Offero tibi incomprehensibiles il-
los cruciatus quos pertulisti, quando
angustijs totus expositus, & omni cõ-
solatione destitutus, miserabiliter in
Cruce pendebas medius inter latro-
nes, & vehementissima siti æstuans
acero potabaris.

Offero Pietatem illam, qua tu ve-
nerandum Caput inclinans, emisisti
pro nobis Spiritum.

Dulcis Iesu, ego in perfectã remis-
sionem omnium offensarum, quas in
te quouis modo hætenus admisi, offe-
ro tibi totam Redemptionis nostræ
dispensationem quam peregisti:

Offero Incarnationẽ, Natiuitatem,
Conuersationẽ, Passionẽ ac Mortem
tuam: Offero quidquid in gloriosissi-
ma genitrice tua virgine Maria, & cæ-
teris Sanctis vnquam tibi placuit.

Eia suauissime Iesu satisfaciat queso
pro

pro Peccatis meis coram Patre tuo
 summa Innocentia tua: Totam vitam
 meam nimis indignam ac sceleratam
 purissima sindone meritorū tuorum
 inuolue, vt mea quæ immunda sunt
 tuis copulata mudentur, & mea quæ
 imperfecta sunt, tuis vnita perfician-
 tur, atq; ita & præfenti vita durante
 tibi placeam, & cursu miseræ Peregri-
 nationis confecto, mox ad te, qui es
 Salus æterna perueniam. Amen.

Ad Sanctum præfentis diei.

Simon
 Verre-
 paus.

DEus qui animæ famuli tui sancti
 N. æternæ Beatitudinis præmia cō-
 tulisti, concede propitius, vt cuius ho-
 die memoriam religiose colimus, eius
 quoq; viuendi exemplum imitemur:
 & precibus eiusdem ac Meritis, æter-
 nitatis gloriam consequamur. Per
 Christum Dominum. &c.

Precatio
 Eccles.
 Rom.

Sancta Maria & omnes Sancti in-
 tercedant pro nobis ad Dominum, vt
 nos mereamur ab eo adiuuari & sal-
 uari, Qui viuit & regnat in sæcula sæ-
 culorum, Amen.

Ad

*Ad duos vel plures presentis
diei Sanctos.*

Orate pro nobis Sancti N. & N. vt Breuia.
digni efficiamur promissionibus Rom. ad
Christi. *Oremus.* S. Cæcilo

Deus qui annua beatorum N. et N.
solemnitate letificas, da quæsumus, vt
quos veneramur officio etiam piæ cō-
uersationis sequamur exemplo.

Omnes Sancti tui quæsumus, Do- Idem
mine, nos vbiq; adiuuent, vt dum eo-
rum merita recolimus, patrocinia sen-
tiamus. Per Christum Dominū &c.

Pro fidelibus Defunctis.

Memento Domine Patrum et Fra- Ex lib.
trum nostrorum, qui in spe Re- Precæ-
surrectionis, æternæ Vitæ dormitio- tionum
nem acceperunt & omnium qui in veterum
Fide pietateq; vita functi sunt: Et re- Græco-
mitte ipsis quidquid scienter vel igno- rum.
ranter Opere Sermone vel Mente de-
liquerunt.

Et habitare eos facias in locis ful-
gidis, in locis virentibus, in locis refri-
gerij,

gerij, vnde aufugit omnis dolor, mœror & gemitus, vbi contemplatio vultus tui lætificat omnes Sanctos tuos à seculo.

Precatio qua te Deo commendes.

Ex Eucharologio Ecclesiæ.

IN manus ineffabilis Misericordiæ tuæ commendo Animam meam, & Corpus meum: Sensus & sermones meos: Cōsilia mea, cogitationes meas, opera mea, & omnia corporis mei & animæ necessaria: Introitum & exitum meum: Fidem & cōuersationem meam. Cursum & finem vitæ meæ: Diem & horam expirationis meæ, Obitum meum: Requiem & Resurrectionem Animæ meæ cum Sanctis & electis tuis. Amen.

Animæ ad Vitam beatam et immortalẽ ardens desiderium.

B. Aug.
Cap. 35.
Soliloq.

Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarũ: ita desiderat Anima mea ad te Deus. Sitiuit Anima mea ad te Deum fontẽ viuum, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? O fons

O fons Vitæ, vena aquarum viuentium, quâdo veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta inuisa & inaquosa, vt videam Virtutem tuam, & Gloriam tuam, & satiem ex aquis Misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio Domine, fons Vitæ es, satia me: Sitio Domine: sitio te Deum viuum.

O quâdo veniam, & apparebo Domine ante faciem tuâ? Putâsne videbo diem illum. Diem inquam iocunditatis et lætitię, diem quam fecit Dominus, vt exulemus & lætemur in ea?

O dies præclara et pulchra, nesciens vesperum, nō habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis et confessionis. In qua audiam, Intra in Gaudium Domini tui.

Intra in Gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, vbi sunt magna et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus. Intra in Gaudium sine tristitia, quod cōtinet æternam lætitiã: Vbi erit omne bonum &

S non

non erit aliquod malū, vbi erit quidquid voles: & non erit quidquid noles. Ibi erit vita vitalis, dulcis & amabilis, semperq; memorabilis.

Vbi non erit hostis impugnans, nec vlla illecebra: sed summa & certa securitas, secunda tranquillitas, & tranquilla iucunditas, iucūda felicitas, felix æternitas, æterna Beatitudo, et beata Trinitas, et Trinitatis vnitas, & vnitatis Deitas, & Deitatis beata Visio, quæ est Gaudium Domini Dei tui.

O Gaudium super gaudium, Gaudium vincens omne gaudium, quādo intrabo in te, vt videā Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc, & videbo Visionem hanc grandem. Quid est quod me detinet? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est.

Heu me, quamdiu dicetur mihi, Vbi est Deus tuus? Quamdiu dicetur mihi, Expecta, expecta? Et nunc quæ est expectatio mea? Nōne Domine Deus meus Saluatorem expectamus
Domi-

Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori Claritatis suæ? Expectamus Dominum quando reuertatur à nuptijs, vt inducat nos ad suas nuptias.

Veni Domine, & noli tardare, Veni Domine Iesu Christe, Veni & visita nos in pace, Veni & educ vindictos de carcere, vt latemur corâ te corde perfecto, Veni Saluator noster, Veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam & salui erimus, Veni lux mea, Redemptor meus, educ de carcere Animam meam, ad confitendum Nomini sancto tuo.

Quamdiu miser iactabor in fluctibus Mortalitatæ meæ, clamans ad te Domine, et nō exaudis? Audi clamantem Domine de hoc mari magno, & adduc me ad portum felicitatis æternæ.

Felices qui de periculis maris huius educti, ad te Deum portum tutissimum peruenire meruere. O ferè feli-

ces, qui de pelago ad littus, de Exilio ad Patriam, de carcere ad palatium peruenerunt, optata iam quieti beati, Brauium illud perpetuæ Gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæserunt, iam felici iucunditate adepti lætantur in perpetuum.

O Verè beati, ô terq; quaterq; beati qui omnium malorū exuti, securi de sua immarcessibili gloria ad Regnum decoris peruenire meruerunt. O æternum Regnum. Regnum omnium seculorum, vbi lumē indeficiens, & Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, in quo Sanctorum animæ requiescunt, et lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & exultationē obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

O quam gloriosum est Regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo Coronam de lapide precioso.

O Regnum Beatitudinis sempiternæ,

næ, vbi tu Domine spes Sanctorum, et diadema Glorię, facie ad faciem vide- ris à sanctis, lætificas eos vndiq; in pa- ce tua, quæ exuperat omnem sensum.

Ibi Gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, lux sine tene- bris, Vita sine morte, Omne bonum sine omni malo. Vbi Iuuentus nun- quam fenescit, vbi vita terminum ne- scit, vbi decor nunquam pallefcit, vbi amor nunquam tepescit, vbi sanitas nunquam marcescit.

Vbi Gaudium nunquam decrefcit, vbi dolor nunquam sentitur, vbi ge- mitus nunquam auditur, vbi triste nil videtur, vbi malum nullum timetur, quia ibi summum Bonum possidetur, quod est: Videre semper faciem Do- mini Virtutum.

Felices igitur, qui de naufraga vita præfenti, ad tanta gaudia iã peruenire meruerunt. Infelices heu nos et mise- ri, qui per huius maris magni fluctus, procellosasq; voragines nauem trahi-

ad nos

S 3

mus.

mus, ignorantes an ad Portum Salutis peruenire valeamus.

Infelices inquam quorū vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio, nescientes finem nostrum, quia omnia in futurum referuantur incerta. Adhuc in pelagi fluctibus versamur, suspirantes ad te portum maris.

O Patria nostra, patria secunda, à longè te videmus, ab hoc mari te saluamus. Ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lachrymis, si quo modo ad te perueniamus.

Spes humani generis Christe Deus de Deo, refugium nostrum & virtus, cuius lumen à longè inter caliginosas nebulas super maris procellas quasi stella maris radius, oculos nostros irradiat, vt dirigamur ad te Portum.

Guberna Domine nauem nostram tua dextera, Clauo Crucis tuæ: ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tēpestas aquæ, ne absorbeat nos profundum: sed vnco Crucis retrahe nos
ab hoc

ab hoc pelago ad te solamen vnicum nostrum, quem à longè quasi stellam matutinã & solem iustitiæ vix lachrymantibus oculis in littore Cœlestis Patriæ nos expectantem videmus.

En ad te clamamus Redempti tui: sed & nunc Exules tui, quos precioso Sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.

In mari turbulento versamur, tu in littore stans, aspicias pericula nostra, saluos nos fac propter Nomen tuum. Da nobis Domine inter Scyllam & Charybdim ita tendere, & tenere tecum, vt vtroq; periculo euitato salua naue & mercibus securi perueniamus ad Portum.

Precatiuncula legenda absolutis cuiusq; diei precibus.

Clementissime Domine Iesu, ego Simon precum mearum pensum, distra- Verre-
tumq; ac tepidum seruitium meum pæus.
committo diuino cordi tuo corrigendum,
S 4 dum,

dum, ipsumq; tibi offero, ad Nominis
tui gloriam, & totius Ecclesie tuæ sa-
lutem. Amen.

Christianæ Pietatis incita- menta.

Estote parati, quia qua hora non puta-
tis filius hominis veniet. Luc. 12.

Dies Domini, sicut fur in nocte, ita ve-
niet. 1. Thess. 5.

Beati serui, quos, cum venerit Domi-
nus inuenerit vigilantes. Luc. 12.

Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos
in Vineam meam. Matth. 20.

Multã malitiã docuit otiositas. Eccl. 33
Labora, sicut bonus miles Christi. 2. Ti-
moth. 2.

Vincenti dabo manna absconditum.
Apocal. 2.

Eslo fidelis vsq; ad mortem, & dabo ti-
bi coronam Vitæ. Apoc. 2.

Non sunt cõdignæ Passiones huius tem-
poris ad futuram Gloriam, quæ reuelabitur
in nobis. Rom. 8.

Oculus

Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec
in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit
Deus ijs, qui diligunt illum. 1. Cor. 2.

Qui perseverauerit vsque in finem, hic
saluus erit. Matth. 24.

*Iactura nulla maior est;
quam Temporis.*

Collector ad pium Lectorem.

PRO Labore hoc nostro, pie & beneuole
Lector, illud abs te mercedis ac gratiæ vi-
cissim reposco, vt pro me misero Peccatore
alterum iam annum & amplius aduersa va-
letudine laborante, digneris subinde Diuini
Numinis opem implorare, vt hoc breue vitæ
curriculum piè ac sanctè percurrā, Dei Man-
datis & voluntati expeditus semp obsequar,
eiq; sic iugiter & in secūdis & in aduersis ad-
haream, vt ab immēsa ipsius Misericordia in
æternum nunquam separer. Bene vale.

In Thabor. Anno M. D. LXXII.

in mense Decembri.

5 Pre-

Precatiuncula pro huius libelli Collectore.

DEus qui iustificas impium, & non vis mortem Peccatorum: Maiestatem tuam supplex deprecor, vt hūc famulum tuum de tua Misericordia confidentē, caelesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserues: vt tibi iugiter famuletur, & nullis tētationibus à te separetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

F I N I S.

Hoc precum Compendium, optimo ordine digestum, hoc tempore ad Christianorū vsum bene necessarium, valde vtile & dignum est, vt & imprimatur, et quotidie ab omnibus legatur.

Ita ego D. Henricus
Dunghen Canonicus
S.T.D. Attestor.

S. Aug. in Psal. 42.

Hæc Iustitia hominis in hac Vita,
Ieiunium, Eleëmofyna, & Oratio;



S. Aug. Serm. 59.

Qui vult ORATIONEM suam
volare ad Deum, faciat illi duas alas,
ELEEMOSYNAM & IEIUNIVM:
& ascendet celeriter,
& exaudietur.

AD

A D L E C T O R E M
D E M U L T I P L I C I S V P E -
r i o r u m P r e c a t i o n u m v s u .

NE forte queraris, amice Lector, multas in hoc Li-
bello Precationes desiderari, admonitum te ve-
lim, quod quemadmodum quotidie utimur Oratio-
ne Dominica ad res multifarias à Deo postulandas,
sic ob res varias quoq; & causas diuersas licebit in
dem istius libelli vti Precibus, vt ex hoc Indice sub-
iecto facile constare queat. In quo numerus prior Fe-
riam significat, posterior vero paginam: Boni con-
sule, & vale, nostri subinde in precibus memor.

Ante Confessionem Sacramentalem.

Supplex oratio poenitentis, quare initio cuius-
que diei. Fer. Pag.
Peccatorum coram Deo Confessio 7. 266

Antesumptionem V. Sacramenti.

Supplex oratio poenitentis, quare initio cuius-
que diei.
Peccatorum coram Deo Confessio. 3. 102
Precatio petentis à Deo iustificari. 6. 220
{ 2. 110
Precatio de Passione Domini. } 5. 196
} 6. 127

Post

Post sumptionem V. Sacramenti.

	{ 3.	130
Deuota aliqua gratiarum actio.	{ 4.	163
	{ 5.	196
Precatio vt ad Coelestia iugiter erigaris.	4.	172
Vt in Deo super omnia bona quiescamus.	3.	139
Precatio aurea S. Thomæ Aquinatis.	3.	119
Precatio petentis à Deo iustificari.	6.	220
Vt Christus Iudex seculi nostri misereatur.	6.	218
<i>Precationes Ægrotis conuenientes.</i>		
Professio Christianæ Fidei.	5.	187
Pro vera ac Catholica Fide, &c.	4.	116
	{ 2.	100
Precatio de Passione Domini.	{ 5.	197
	{ 6.	228
	{ 2.	101
Deuota aliqua Gratiarum actio.	{ 4.	161
	{ 5.	198
Precatio valde pia & salutaris.	4.	152
Precatio vt ad Coelestia iugiter erigaris.	5.	
Precatio petentis à Deo iustificari.	6.	128
Vt Christus Iudex seculi nostri misereatur.	6.	118
Animæ ad coelestem Hierusalem ardens desiderium.	5.	213
Precationes ad B. Virginem Deiparam.	7.	249
<i>Tempore Belli, Charitatis annonæ, Pestis & quarumuis rerum afflictarum.</i>		
	Supplex	

Supplex oratio pœnitentis, Initio cuiusq; diei.	
Peccatorum coram Deo Confessio.	7. 243
Precationes ad beatam Virginem Deiparam.	7. 249
Precationes ad omnes Sanctos.	7. 253

Precationes legenda pro Amico.

Precatiuncula pro libelli Collectore, In fine libri.	
Supplex oratio pœnitentis, Initio cuiusq; diei.	
Precationis Dominicæ paraphrasis.	2. 84
Precatio aurea S. Thomæ.	3. 119
Item, Precationes quæ sequuntur.	

*Precationes convenientes cuius loco,
Tempori & Personæ.*


Precatio valde pia & salutaris.	4. 152
Precatio Dei bonitatem & Ingratitudinem suam agnoscentis.	7. 257
Pro salutari Vitæ præsentis exitu.	6. 217
Vt Christus iudex seculi nostri misereatur.	6. 218
Precatio petentis à Deo iustificari.	6. 210
Pro vera ac Catholica Fide &c.	4. 131
Pro Ecclesia Catholica: Ex quavis Feria.	
Pro utroq; Magistratu.	5. 191
Vt Deus in Messem suam bonos mittat Ope- rarios.	2. 97
Precationes S. Gregorij de Passione Domini.	6. 227

Denote

	Fer. Pag.
	{ 2. 101
Deuotæ Gratiarum actiones.	{ 4. 163
	{ 5. 198
Precatio aurea S. Thomæ Aquinatis.	5. 119
Peccatorum coram Deo Confessio : quare in- ter quotid.	13
Vel altera quæ ponitur die Sabbati.	7. 266
Pro Vitæ necessarijs.	5. 189
Vt hæc Terrena non impediunt nobis Cœlestia.	38
Ad Angelum tui custodem.	20
Precatio qua te Deo commendes.	10
Meditatio de Vitæ breuitate.	22
Meditatio valde salutaris, &c.	27
Item alia, vel Meditationes, vel Pietatis incita- menta cuiusque Feriæ.	

F I N I S.





(X 1799 36 26)


Quero qd. argente
Quid forma,
Quid ordo & mensura,
Quid celestes fundi,
Quid festis gaudia mundi,
Labat Malum las,
Quid origo mundi,
An labor,
Quid sit,
Quid transt gloria mundi

40 13
—
21 17

40 13
—
21 17







B.I.G.

Farbkarte #13

PRECATIONES
LITURGICÆ
IN DIEB. VII.
DIGESTÆ

PER
M. Simonem Verrepaum.
MECHLINIÆ
Virginum Thaborensium Hierarcham,



CHRISTVS RE IBI

TV TE CHRISTO

Excudebat Sebaldus Mayer.
DILINGÆ,